



600100455L



INSTITUTIONES
JURIS CANONICI
IN
VARIOS TRACTATUS DIVISÆ.

VENIT :

ROMÆ..................apud MERLE.
— .... BONIFAZIO.
MEDIOLANI.................. DUMOLARD.
— .... BONARDI POGLIANI.
TAURINI.................. HYAC. MARIETTI.
FLORENTIÆ.............. P. DUCCI.
GENUÆ.................. BETTOLO ANTONIO.
NEAPOLI.................. G. DURA.
CAMBERII.................. PUTHOD.
GENEVÆ.................. BERTHIER GUERS.
— .... Marcum MEHLING.
FRIBURGI.................. MEYLL.
MADRITI.................. Carolum MONNIER.
LONDINI.................. BURNS ET LAMBERT.
BRUXELLIS.................. GOEMAERE.
SILVÆ DUCIS.............. VANHOEVEN.
COLONIÆ.................. HEBERLE.
LIPSIÆ.................. ALPH. DURR.
CRACOVIÆ.................. VAL. WIELOGLOWSKI.
PETROPOLI................ ISAKOFF.

Parisiis. — Excudebant F. Didot fratres, via Jacob, 56.

TRACTATUS

DE

JURE LITURGICO

AUCTORE

D. BOUIX.



PARISIIS,

APUD JACOBUM LECOFFRE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS,
VIA VULGO DICTA DU VIEUX-COLOMBIER, 29.

1853.



23 septembris 1852.

NIHIL OBSTAT.

F. JOSEPHUS CAJAZZA, Procurator generalis ordinis Eremitarum S. Augustini, Censor deputatus.

IMPRIMATUR.

FR. DOMINICUS BUTTAONI, ordinis Prædicatorum, sacri Palatii apostolici Magister.

IMPRIMATUR.

F. R. LIGI-BUSSI, ordinis Minorum conventualium, Archiepiscopus Iconiensis, Vicesgerens.

Dilecto filio presbytero Dominico Bouix

PIUS PP. IX.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteræ tuæ, sensibus erga Nos et hanc Apostolicam Sedem præclaræ devotionis et observantiæ undequaque refertæ, propensionem erga te Nostram non mediocriter augent; quam studium sacrarum disciplinarum, canonum præsertim, animo tuo alte defixum Nobisque perspectum, jam sibi conciliabat. De quo sane studio certum præbet ecclesiasticis viris indicium opus tuum, cui titulus : *Du Concile provincial, ou Traité des questions de théologie et de droit canon qui concernent les Conciles provinciaux*, ad Nos dono missum humanissimum in modum. Nos de ingenio ac sedulitate tibi plurimum gratulamur, quibus gravissimum ejusmodi ecclesiasticæ disciplinæ argumentum expendis, unaque scite demonstras quibus revera legibus eorumdem conciliorum decreta subjiciantur. Pignus interim Nostræ in te caritatis sit apostolica Benedictio, quam omnis auspicem gratiæ cœlestis, tibi ipsi, dilecte fili, intimo paterni cordis affectu amanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 20 decembris anni 1851, pontificatus Nostri anno VI.

PIUS PP. IX.

TRACTATUS

DE

JURE LITURGICO.

TOTIUS TRACTATUS DISTRIBUTIO.

Quid rei sit liturgia et quo habenda loco, nisi quis in antecessum apprime perspexerit, in lustrandis postea quam pluribus hujusce tractationis quæstionibus non raro cæcutiet, atque in falsas facile conclusiones errabundus impinget. Hinc primo de liturgiæ natura et valore dogmatico disserendum visum est. Qua præmissa atque diligenter expensa notione, fontem ipsum juris liturgici adibimus : exquiremus scilicet quinam illi sint penes quos resideat juris de liturgia dicundi potestas. Tum synopsi historica exponemus quonam modo sese de facto habuerit, ab exordiente Ecclesia usque nunc, legislativæ circa liturgiam potestatis exercitium; quæ factorum historicorum deducta series, traditam de juris liturgici fonte doctrinam non parum illustrabit. Et hæc quidem viam sternent ad præcipuam tractationis partem, in qua nempe determinabimus quodnam hodie vigeat jus liturgicum, tum apud orientales, tum apud occidentales Ecclesias. Hujusmodi autem hodiernum jus nobis in proposito est evolvere tantum quoad præcipuas et fundamentales regulas; ne, si per singulas rei liturgicæ materias excurrere vellemus, in immensum excresceret tractatio, atque *institutiones* potius *liturgicas*, quam tractatum de jure liturgico videremur contexere.

Erit ergo totius tractatus ordinatio in hunc modum : 1° De liturgiæ natura et valore dogmatico; 2° de legitimo juris liturgici fonte; 3° quodnam de facto fuerit ab Ecclesiæ exordiis usque nunc legislativæ circa liturgiam potestatis exercitium; 4° quodnam sit hodiernum jus liturgicum.

PARS PRIMA.

DE LITURGIÆ NATURA ET VALORE DOGMATICO.

Prodiit superioribus annis quorumdam opinio qua liturgiæ denegabatur quælibet cum dogmate connexio (1). Qui error, cunctis retro sæculis inauditus, quomodo vel unius scriptoris catholici mentem subierit vix intelligeretur, nisi rem innueret scopus ipse in quem intendebant istiusmodi opinationis patroni. Volebant scilicet jure suo usos fuisse præteriti sæculi gallicanos præsules, qui, posthabitis sancti Pii V decretis, novas sibi conflarunt atque in diœceses suas illegitime induxerunt liturgias; nec patienter ferebant dictos prælatos eo nomine carpi, quod certissimas Ecclesiæ leges, ex errore saltem et bona fide, transgressi essent. Novarum autem ejusmodi liturgiarum introductio facilius sperabatur ab illegitimitatis nota vindicari posse, si liturgia ipsa videretur esse quid minoris momenti, ad fidei dogmata minime pertinens et cum eis nullatenus connexum. Hinc obfuscata de liturgiæ natura communis atque genuina notio, et negata præcipua ipsius proprietas intrinseca, valor nempe dogmaticus. Cui errori, utpote gravissimis periculis fœto, in hac prima tractatus nostri parte obviam eundum duximus.

(1) Ita inter alios D. Fayet Aurelianensis Episcopus in opere cui titulus *Examen des institutions liturgiques du révérend père abbé de Solesmes.*

CAPUT I.

DE VOCE LITURGÍA, ET DE MULTIPLICI EJUSDEM SIGNIFICATIONE.

De vocabuli illius etymologia concordant eruditi : tradunt nempe illud conflari duabus vocibus græcis, λεῖτον (publicum) et ἔργον (ministerium). Unanimiter etiam tenent per hujusmodi vocem designari primitus solitam fuisse *quamlibet functionem publicam.* Et hoc revera sensu usurpata reperitur apud Platonem, Aristotelem, Demosthenem, Xenophontem, Isocratem aliosque profanos auctores, ut cuique græca lexica volventi facile perspicuum esse potest. Eodem etiam sensu reperitur adhibita in quodam Marci Antonini et Lucii Veri rescripto, ut videre est in Pandectis (l. x, tit. 6, de jure immunit.). Multoties insuper græci imperatores in condendis legibus suis voce *liturgia* usi sunt ad exprimenda *onera publica;* ubi præsertim aliquas ab hujusmodi oneribus immunitates sanxerunt. In sacris vero paginis determinata magis atque restricta occurrit prædicta significatio. Ibi enim, non jam ad exprimendum quodlibet sive religiosum sive profanum ministerium publicum usurpatur liturgiæ vox, sed specialiter, aut saltem frequentius, ad indicandas functiones sacras. Hoc nomine commemoratur levitarum circa tabernaculum ministerium apud Septuaginta interpretes : καὶ αὐτοὶ λειτουργήσουσιν ἐν αὐτῇ, *et ipsi ministrabunt in eo* (Numeri, cap. I, v. 50). Item sanctus Lucas liturgiam vocat functiones sacras Zachariæ, sancti Joannis Baptistæ Patris : καὶ ἐγένετο ὡς ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, *et factum est cum impleti essent dies liturgiæ ipsius* (c. I, v. 23). Quem sensum insuper reperimus in sequentibus textibus : λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ, *ministrantibus autem ipsis Domino* (Actus apost. c. 13, v. 2) : εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, *ut sim minister Christi in gentibus* (ad Rom., c. 15,

v. 16). Τοιοῦτον ἔχομεν ἀρχιερέα, ὃς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς : τῶν ἁγίων λειτουργὸς, καὶ τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς, ἣν ἔπηξεν ὁ Κύριος καὶ οὐκ ἄνθρωπος. *Talem habemus pontificem qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis : sanctorum liturgus (minister), et tabernaculi veri quod fixit Deus et non homo* (ad Hebr., cap. 8, v. 1 et 2). Νυνὶ δὲ διαφορωτέρας τέτευχε λειτουργίας... *Nunc autem excellentiorem sortitus est liturgiam, quanto et melioris est testamenti mediator* (ibid, v. 6). Τὴν σκηνὴν δὲ, καὶ πάντα τὰ σκεύη τῆς λειτουργίας τῷ αἵματι ὁμοίως ἐῤῥάντισε. *Tabernaculum autem et omnia vasa liturgiæ (ministerii) sanguine similiter aspersit.* (Ibid., cap. 9, v. 21). Nihilominus eadem vox a sancto Paulo usurpatur etiam ad exprimendam curam pauperum (Epist. 2 ad Cor., c. 9, v. 12); et pariter eo nomine vocat officium charitatis, quo fideles ipsius necessitatibus subveniendo opportuna suppeditabant (ad Philipp., c. 2, v. 30). Ubi videtur Apostolus vocabulum illud reduxisse ad sensum generaliorem ministerii cujuscumque publici, aut saltem ad charitatis in proximum ministeria extendisse.

A primis autem Ecclesiæ sæculis invaluit usus *liturgiam* vocandi sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium; quod indubium faciunt monumenta innumera, ut videre est in erudito cardinalis Bonæ opere, cum notis Salæ edito (Rerum liturg. lib. 1, c. 3). In hoc ergo sensu idem sonabat liturgia ac hodiernum *missæ* vocabulum; quæ posterior vox remotissimæ et ipsa antiquitatis est. Est autem notatu dignum, a græcis Patribus, dum voce *liturgia* ad designandum Eucharisticum sacrificium utuntur, adjici solere epitheton *sacra* vel *mystica* : contrario occurrente usu apud latinos Patres, quibus frequens est sensum eumdem nullo adjecto epitheto exprimere (1).

(1) De voce *liturgia* videatur Krazer (de Ecclesiæ occidentalis liturgiis, procem.); — Bona (Rerum liturgicarum, t. I, l. 1, cap. 3); — Zaccaria

Varii hucusque expositi vocis liturgiæ sensus, jamdudum in desuetudinem abierunt, sola in usu remanente alia significatione, quæ nunc peculiari cura, eo quod ad recte determinandam liturgiæ definitionem plurimum conferat, exponenda venit.

CAPUT II.

DE SENSU VOCIS LITURGIÆ, QUI USU GENERALI PRÆVALUIT.

Si usum expendamus qui jamjudum ubique generaliter obtinuit, vocis liturgiæ significationem reperiemus determinatam hoc modo :

1° Jam desiit omnino usurpari ad designandas eas functiones publicas quæ ad religionem sacrumve cultum nullatenus pertinent. Unde sensus ille qui apud profanos Græciæ auctores olim frequens fuit, jam omnino obsolevit; ita ut per *liturgiam* nonnisi ea quæ ad res sacras spectant jam a multo tempore intelligenda veniant.

2° Item certum est obsolevisse usum quo vox *liturgia* ad designandum sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium restringebatur primis Ecclesiæ sæculis. Jamdudum scilicet ad multo plura appellatio illa extensa est; ita ut, si quis hodie sub *liturgiæ* nomine de *missa* dissereret, mentem ipsius aut nullo modo aut nonnisi confuse audientes assequerentur.

3° Sub liturgiæ appellatione nunquam comprehensos fuisse cultus interni actus, sed eos tantum qui ad cultum externum pertinent, totidem monumentis constat quot extant de re liturgica scripti libri, atque exaratæ sententiæ. Nullibi quippe vox illa ad exprimendos mere internos animæ sensus usurpata reperietur.

4° Imo neque ad omnes cultus externi praxes ejus signi-

(Onomasticon rituale, voce *Liturgia*);—Grandcolas(Anciennes liturgies, p. 2); Goari (Rituale Græcorum (t. I, p. 9, nota 8).

ficatio extenditur. In cultu enim externo distingui debent actus privati, et actus sociales seu publici. Si quis privatim Dei laudes canat, genuflexionibus vel prostrationibus numen adoret, aliisve hujusmodi religionis praxibus vacet, non quidem juxta normam a lege vel consuetudine pro tota aliqua communitate religiosa præscriptam, sed juxta methodum quam ipse sibi in usum suum privatum invenit et determinavit, ii actus, licet ad externum cultum pertinentes, sub liturgiæ appellatione non comprehenduntur. Vox quippe illa, ex generaliter recepto usu, supponit atque involvit institutionem aliquam socialem, quamdam scilicet cultus externi normam, ex lege vel consuetudine in tota aliqua hominum religiosa societate obtinentem et servari solitam. Non ergo quilibet externus cultus, sed ille tantum qui socialis est, censetur et dicitur liturgicus. Ex quo sequitur praxim aliquam externi cultus ad liturgiam non pertinere nisi eam præscribat et determinet codex vel consuetudo, quibus externus cultus apud religiosam aliquam societatem regitur.

5° Dicendum ergo, ex usu generali jam a multis sæculis vigente, ita determinatum fuisse sensum vocis *liturgiæ*, ut *solas cultus externi socialis praxes* exprimat.

6° Dicendum insuper, ex eodem recepto usu, *omnes* dicti cultus praxes sub liturgiæ appellatione comprehendi. Hoc ipso scilicet quod aliquid dici possit praxis cultus externi apud aliquam societatem constituti, censendum est ad liturgiam pertinere. Quidquid enim dici potest cultus externi socialis praxis, constat, vel *rebus* (sive animatis sive inanimatis, quales erant in antiqua lege victimæ, altaria, thymiamata, candelabra et hujusmodi; et in nova lege sacrosanctum atque adorandum Eucharistiæ sacramentum, cereus paschalis, materiæ sacramentorum, et alia quamplurima); vel *verbis* (nempe e sacris paginis aut aliunde depromptis); vel *actionibus* (quales sunt v. g. signa crucis, insufflationes, genuflexiones, cantus, instrumentorum sonitus, etc.). Porro nullus est scriptor de re liturgica disserens, qui hæc omnia

non habeat tanquam ad liturgiam pertinentia. Unde, ex recepto generaliter jamdudum usu, sicut *solæ* ita et *omnes* cultu externi socialis praxes sub liturgiæ appellatione comprehenduntur; ita ut, attento prædicto usu, hodie per *liturgiam* intelligi debeant omnes et solæ praxes cultus externi socialis. Et sic tandem determinatus ex usu remansit vocis illius sensus; quod ad vitandam in hac re æquivocationem et confusionem valde est attendendum.

CAPUT III.

LITURGIÆ DEFINITIO.

1° Rei cujuscumque definitio, est simul et necessario definitio vocis qua res illa enuntiatur; nec potest quis rem ullam definire, nisi determinando sensum quem vel ipse arbitrarie, vel usus communis, alicui voci alligat. Ad definitionem autem strictam seu proprie dictam, requiritur ut ille sensus exprimatur quem usus generalis voci annexuit. Aliæ definitiones quibus auctores præmonent et arbitrarie determinant quo ipsi sensu usurpent vocem aliquam, non sunt proprie dictæ definitiones.

2° Alia rectæ definitionis conditio a logicis requisita, est ut totam et solam rem definiendam clare exprimat.

3° His autem conditionibus satisfacere videtur sequens liturgiæ definitio : *forma cultus* (1) *externi apud aliquam societatem constituta*. Nam *primo* exprimit sensum quem jamdudum usus generaliter receptus voci *liturgiæ* alligavit. In præcedenti siquidem capite vidimus ex dicto usu *omnes et solas* praxes externi simulque publici seu socialis cultus, sub liturgiæ appellatione comprehendi; porro easdem illas praxes exprimunt hæc verba : *forma cultus externi apud ali-*

(1) Dum hic utimur voce *cultus*, intelligimus *cultum sacrum*, pro communius recepto hujus vocabuli sensu.

quam societatem constituta. *Secundo* convenit toti definito: dum enim dicitur *forma cultus externi*, comprehenduntur *omnes* absque exceptione praxes quæ ad liturgiam pertinent; cum nulla exstet hujusmodi praxis quæ non sit aliqua pars *formæ cultus externi*, seu (quod idem est) aliqua pars cultus externi quatenus tali modo seu forma determinati. *Tertio* convenit soli definito: ut enim excludantur quæ non sunt ipsamet res definienda seu ipsamet liturgia, sufficit ut arceantur a definitione illæ cultus externi praxes quas in usum suum privatum quisque sibi determinaret et exerceret; sufficit proinde ut per definitionem liturgia restringatur ad praxes cultus *socialis;* quod fit per illas voces *apud aliquam societatem constituta*. Definitionem autem illam quisque poterit aliis atque aliis terminis, opportunioribus forsan et clarioribus, facile concinnare.

4° Si vero per *enumerationis* methodum (quæ sæpe ad res illustrandas tantopere confert) describenda sit liturgia, curandum est ut in enumeratis partibus tota et sola explananda res comprehendatur, et ne unum membrum ingrediatur alterum. Quibus requisitis videtur hæc formula satisfacere: *liturgia est complexio rerum, verborum et actionum, in aliqua societate pro cultu externo institutorum*. Sub *rerum* nuncupatione indicatas habes eas omnes substantias, sive animatas, sive inanimes, quæ ad cultum externum quocumque modo adhiberi possunt, verbi gratia, victimas, aquam, salem, lumina, altaria, imagines, vasa, ignem, aliaque hujusmodi. Sub *actionum* vocabulo commode intelligendi veniunt ritus omnes et cæremoniæ, qui et a prædictis rebus sive substantiis, et a verborum formulis differunt; verbi gratia, signa crucis, genuflexiones, cantus, campanarum aliorumve instrumentorum sonitus. Quibus si adjungas eam rei sacræ partem quæ in verborum prolatione consistit, *totam* habebis descriptam liturgiam. Dum autem additur hæc omnia non esse liturgica nisi quatenus *ad cultum externum in aliqua societate instituta*, remanet *solam* descriptam fuisse liturgiam.

Objicies : — In tradita liturgiæ definitione non comprehenduntur leges quibus ipsa liturgia determinatur et regitur, quales sunt rubricæ aliaque decreta ; atqui deberent in recta definitione comprehendi, cum libri quibus hujusmodi leges continentur, dicantur *liturgici;* ergo tradita definitio toti rei definiendæ non convenit. — Respondeo, leges et libros hujusmodi vocari *liturgicos*, non quod sint partes liturgiæ, sed quia de liturgia decernunt vel tractant. Aliud autem est res de qua tractatur vel decernitur, et aliud decretum vel tractatus. Sunt et leges quæ varios contractus ineundi modum regulant et decernunt : quis autem existimabit leges illas esse contractus, et in definitione contractuum comprehendi debere ? Alioquin, verbi gratia, lex civilis quæ decernit de militia, habenda esset tanquam pars militiæ, et in ejus definitione includenda. Unde prædictorum decretorum et rubricarum cognitio necessaria quidem omnino est ad dignoscendum quænam liturgiæ sint legitimæ ; at minime sunt ipsamet liturgia aut pars ipsius.

5° Præmissa definitio generalis est, ita ut conveniat etiam hæreticorum liturgiis et paganorum deliramentis. Remanet ergo determinate et in specie definienda vera, sancta, et quæ sola legitima est, catholica liturgia. Videtur autem posse definiri hoc modo : *forma cultus externi in Ecclesia catholica instituti*. Cujus formulæ sensus et legitimitas ex jam discussis facile possunt introspici.

CAPUT IV.

QUOMODO LITURGIA CATHOLICA PARTIM DIVINÆ, PARTIM ECCLESIASTICÆ INSTITUTIONIS SIT.

Ad cultum externum ac proinde ad liturgiam pertinent sacramentorum materia et forma. Porro extra omnem controversiam est sacramenta esse institutionis divinæ quoad essentialia materiæ et formæ ; et patet ex eo quod Deus solus

potuerit aliquibus signis seu ritibus visibilibus effectum supernaturalem permanenter alligare. In ea autem liturgiæ parte quæ ad institutionem divinam omnino referenda est, divinorum divinissimum merito dici solet sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium et sacramentum; unde et tanquam totius liturgiæ cor et centrum habendum est; nec mirum primis Ecclesiæ sæculis divinam Eucharistiam *liturgiæ* nomine antonomastice fuisse designatam.

At præter sacramentorum materiam et formam, reliquas rei liturgicæ partes Christus reliquit Ecclesiæ ordinandas atque constituendas. E quibus quædam ab apostolis constat fuisse sancita et in usum inducta; alia autem variis temporibus a Romanis Pontificibus, conciliisve, in tota Ecclesia; nonnulla etiam ab episcopis religiosorumve prælatis in subjectis sibi diœcesibus et familiis pie et sancte instituta. Unde concludendum liturgiam esse partim ad divinam, partim ad ecclesiasticam institutionem referendam.

CAPUT V.

LITURGIA CATHOLICA EST EX NATURA SUA SANCTIFICANS ET PRÆPOTENS SANCTIFICATIONIS INSTRUMENTUM.

1° Per eos ritus quibus ipsa constat sacramentorum materia et forma, sanctificat *ex opere operato;* idque omnino certum est et de fide.

2° Cæteræ liturgiæ partes sive ab apostolis, sive post apostolos auctoritate ecclesiastica legitime institutæ vel approbatæ, mira pollent aptitudine ut homines excitent ac disponant ad recipiendum divinæ gratiæ imbrem. Cum enim ea sit hominis natura ut nonnisi per visibilia mentem ad invisibilia erigere soleat, eaque generalis Dei in reparando et ad finem supernaturalem deducendo humano genere œconomia, ut per sensibilium rerum media sese ipse in mentes et corda infundat, nemo non videt quam generale

et præpotens sit sanctificationis instrumentum liturgia. Unde tota generatim res liturgica est quasi perennis atque uberrimus sanctificationis fluvius, ad cujus aquas Ecclesia generationes omnes statis diebus et horis potandas certa lege adducit.

CAPUT VI.

LITURGIA EST EX NATURA SUA EVANGELIZANS ET PRÆPOTENS EVANGELIZATIONIS INSTRUMENTUM.

In eo præcipue stat munus evangelicum, ut doceantur homines veritatem fidei, et excitentur ad sectanda salutis opera. Porro in tradenda doctrina fidei atque alte animis infundenda cœlestium mysteriorum intelligentia, præpotens præco atque magister est liturgia. Nullus scilicet tam facundus populi christiani doctor : dum enim doctores cæteri aliqua religionis capita scribendo aut loquendo explanant, ipsa totam rei christianæ seriem, ditissima æque ac vividissima magisterii forma perpetuo insonat auribus atque oculis repræsentat. Nullus tam universalis : ipsa enim ab aquilone ad meridiem, ab oriente ad occidentem populos omnes simul alloquitur atque informat. Nullus tam frequens : ipsa enim a mane fere ad vesperam a prædicatione non cessat, et solemnioribus anni diebus adaucta eloquii fluenta immittit. Nullus tam eloquens atque omnium captui accommodatus : quot enim et quam intellectu facilia docet baptismi ritibus et formulis! Quot modis Trinitatem loquitur! cæteraque religionis quam vividis ritibus, verbis, et cantibus sancte ingeminat et rudibus æque ac sapientibus infundit! Et hæc quidem quoad evangelicum magisterium. At non minus apta eadem sunt excitandis ad salutifera opera populis. Quot et quam vividæ in sacris officiis, tum ex Scriptura sacra, tum ex Patrum sententiis, atque ipsismet ritibus symbolicisque cæremoniis ingeminatæ adhortationes! Ea est generatim liturgiæ vis, ut tum ex naturali

aptitudine, tum ex perenniter ipsi alligato gratiæ incitamento, animas jugiter ad cœlestia sollicitet vehementerque impellat. Quod cum per se notum sit, adnotandum tantum potius quam probationibus firmandum duximus. Utinam tanto evangelizationis instrumento innata vis ex ministrorum Christi desidia inductisque sæpe abusibus non præpediretur!

Hanc et superioris capitis thesim, a nobis cursim pro scopo nostro expositam, iis qui ex professo de tota re liturgica institutiones exscribunt, factis historicis Patrumque sententiis firmandam atque illustrandam relinquimus. Et certe præcipuas partes in convertendis atque edocendis, barbaris præsertim, populis, liturgiam egisse, historiæ monumentis facile ostendi potest.

Merito ergo sanctificandi et evangelizandi liturgiæ vim Sixtus V præclaris hisce verbis exprimebat : « Cum sacri ritus et cæremoniæ, quibus Ecclesia a Spiritu sancto edocta, ex apostolica traditione et disciplina utitur, in sacramentorum administratione, divinis officiis, omnique Dei et sanctorum veneratione, magnam christiani populi eruditionem, veræque fidei protestationem contineant, rerum sacrarum majestatem commendent, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis eas igne inflamment... » (Bulla *Immensa*, Bullarium Romanum, editio Cocquelines, tom. IV, pars 4, pag. 395). In quo textu notanda præcipue sunt ea verba, *veræque fidei protestationem contineant*, quibus alia exprimitur liturgiæ proprietas, in sequenti capite fuse probanda, quod sit nempe dogmatica.

CAPUT VII.

DE VALORE DOGMATICO LITURGIÆ.

Summi momenti est quæstio illa, utrum liturgia sit nec-

ne dogmatica. Et quoniam, ut supra adnotavimus, recentiorum scriptorum nonnulli proprietatem hanc ipsi denegarunt, confutando ejusmodi errori, pro rei gravitate, tantisper immorabimur, et præsentis capitis materiam hoc ordine expediemus : 1° dicemus de liturgia quatenus dogma exprimente; 2° de eadem quatenus dogma demonstrante; 3° expendemus objectiones quæ contra vim dogmaticam liturgiæ afferri solent; 4° recensendo præcipua catholicæ fidei capita, ostendemus quomodo ex sola liturgia legitime eorum veritas concludatur.

§ I.

De liturgia quatenus dogma exprimit.

Propositio I. — *Liturgia est essentialiter seu ex natura sua dogmatis expressio.* — Nam, ex supra allata definitione, liturgia tota constat actibus cultus externi, et nihil aliud est quam ipsemet externus cultus quatenus tali forma apud aliquam societatem constitutus. Atqui actus quilibet cultus externi essentialiter et ex natura sua exprimit et manifestat aliquid credi, estque proinde alicujus doctrinæ creditæ seu alicujus dogmatis expressio.

Nam actus cultus externi idem omnino est ac actus religionis externe prolatus : actus autem religionis est semper et necessario actus hominis aliquid credentis, et ex hac fide ac persuasione, sive naturali sive supernaturali, agentis. Qui, verbi gratia, non crederet Deum existere, nullum posset actum religionis circa Deum sincere emittere. Item qui non crederet sanctos in cœlesti patria vivere, nullo posset religioso actu eos colere. Atque idem omnino occurrit in quocumque cultus externi, ac proinde in quocumque liturgiæ actu.

Id insuper facile constabit varias percurrendo partes quibus constare liturgiam supra adnotavimus. Constat nempe rebus, actionibus et verbis. Porro ad res si atten-

datur, reperientur omnes sensum religiosum habere ac proinde dogma aliquod exprimere. Imago crucifixi dum extollitur et omnium venerationi proponitur, supponit et exprimit in mysterium redempti per Christi mortem generis humani fidem. Dum in throno super altare Eucharistia collocatur, indubie manifestat præsentem credi sub speciebus Christum. Dum cereus paschalis accenditur, symbolum est Christi qui ut verum animarum lumen colitur. Cæteras res in sacro cultu adhiberi solitas, vestes nempe, thymiamata, sanctorum reliquias, altaria, ignem, salem, aquam benedictam, aliaque ejusmodi si recenseas, nullam reperies quæ religiosum aliquid non doceat, quæ vel ex naturali aptitudine, vel ex fine ab Ecclesia intento, non sit aliqua dogmatis et doctrinæ religiosæ manifestissima scriptura.

Idem dicendum de ritibus ac cæremoniis quæ ex certa externe agendi lege constant; prout sunt genuflexiones, signa crucis, insufflationes, pacis oscula, et alia hujusmodi quamplurima. Hoc ipso enim quod ad liturgiam pertineant, religiosi aliquid indicant, ac proinde dogma ipsum et fidem societatis quæ illis utitur, exprimunt.

De verbis liturgicis, res per se patet. Verba enim illa alia sunt, ipsæmet dogmatis formulæ, ut symbolum apostolorum, symbolum nicænum, aliaque innumera quibus expressis terminis varia fidei capita enuntiantur; alia sunt deprecativa, ut in orationibus ad Deum, ad Christum, ad Spiritum sanctum, ad Deiparam aliosve cœli incolas directis : et hæc exprimunt credi viventes eas personas ad quas oratio emittitur; et simul exprimitur fides de rebus quæ postulantur et de postulationis utilitate. Alia gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, vel exultationem, vel Christi aut sanctorum encomia referunt; quæ omnia certam aliquam fidem et religionis doctrinam singulis phrasibus exprimunt. Alia ex ipsis sacris libris depromuntur : et hæc exprimunt vera credi et sancta quæ sic e sanctis paginis ad cultum externum adhibentur.

Liturgia ergo est semper et necessario aliqua doctrinæ creditæ sive dogmatis manifesta prolatio et confessio. Atque ita ipsi intrinsece inhæret hæc proprietas, ut ea spoliari nequeat ulla etiam falsarum religionum liturgia.

Propositio II. — *Liturgia ex natura sua apta est ad exprimenda falsa sicut vera dogmata.* — Certum est posse errores quoslibet circa religionem verbis, ritibus, symbolicisque signis exprimi; nec minus certum est posse hujusmodi verba, ritus et signa ab aliqua societate pro cultu externo certa lege vel consuetudine usurpari. Atque ita misere factitatum a paganis et hæreticis historiæ testantur. Paganorum liturgia expressam fuisse deorum pluralitatem innumeraque alia errorum monstra quis nesciat? Adamitæ in cœtibus suis nuditatis ritum introduxerant, ut sic hæreticum dogma exprimerent, quo credebant se restitutos in statu innocentiæ, primis parentibus ante prævaricationem proprio. Item cæterarum sectarum præcipuos errores liturgicam formam induisse monumentis probari facile posset, si thesis non esset adeo per se perspicua.

Propositio III. — *Quando apud aliquam societatem corrumpitur fides, error ad invadendam liturgiam tendit.* — Cum enim soleat liturgia totam fere religionis seu fidei doctrinam exprimere, statim ac apud aliquem populum a veris aliquibus dogmatibus ad errores fit lapsus, liturgia hucusque adhibita, hoc ipso reperitur novæ doctrinæ contraria. Populus ergo noviter inductorum errorum sequax, ne sibi contradicat, liturgiam ipsam ad normam novi sui dogmatis immutabit. Atque ea est hominum natura, ut moraliter certum sit, mutata religionis doctrina, non diu permansuram liturgiam mutationi contradicentem. Unde a priori, et ante reseratam hæresum historiam, certo affirmari potest, quamlibet sectam, postquam a centro unitatis et recta fide defecit, a liturgia etiam hucusque solita recessisse, et ad diversam noviter conflatam migrasse.

Atque ita semper de facto evenisse testantur monumenta

historica. De quo ut unum saltem exemplum promamus, initia recolamus schismatis Angliæ. Statim ac cœpit obscurari in ea regione fides de reali Christi in sanctissimo Eucharistiæ sacramento præsentia, jam intolerabilis visa est liturgiæ Romanæ in dicti sacramenti administratione formula, *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam*. Nec etiam ferri potuit antiquissima quæ tot sæculis apud Orientem viguerat formula, *Corpus Christi;* ad quæ verba communicans respondebat *Amen*. Eæ scilicet voces nimis aperte exprimebant transsubstantiationis dogma, quod sub Eduardo VI a multis rejiciebatur. Atvero cum etiam non pauci adhuc dogma idem firmiter retinerent, ut cunctis fieret satis, excogitari debuit formula, ita quoad sensum indeterminata, ut eam posset utraque pars in sensum suum æque trahere. Quæ formula reperitur in prima editione, anni scilicet 1547, hoc modo: *Corpus Domini nostri Jesu Christi quod pro te datum est, custodiat corpus et animam tuam in vitam æternam. Sanguis D. N. J. C. qui pro te effusus est, custodiat animam tuam in vitam æternam.* Prævalentibus postea iis qui transsubstantiationi non credebant, formula ad eorum mentem tracta est, et secundæ editioni sic inserta : *Accipe et comede istud in recordationem quod pro te Christus mortuus est; et nutri te ex eo in corde tuo per fidem cum gratiarum actione. Bibe hoc in recordationem quod pro te sanguis Christi effusus est, et gratias age.* In quam novitatem cum multi transsubstantiationem admittentes vehementer insurgerent, ad sedandas lites et conciliandos animos, utraque formula, prior nempe et hæc posterior, in unam junctæ sunt, cui utriusque partis communicantes respondebant *Amen*, eam in suo quisque sensu interpretantes. Quo ex multis adducto exemplo satis patet quomodo error ex quadam necessitate in liturgiam transeat, et in ea tum introductionis suæ, tum progressuum et variationum historiam et quasi sigillum figat. Potest quidem catholica aliqua par-

ticularis Ecclesia, quin a fide deficiat, suam liturgiam in aliam pariter orthodoxam et eadem dogmata exprimentem mutare: at vero hæresis nequit eam servare quam nascendo vigentem invenit; quia ista, utpote hæresi anterior, catholica est et hæresi contraria; unde coguntur hæretici novam sibi conflare et novitatibus suis accommodare.

Quod et annotavit cardinalis Bona (Rerum liturgicarum l. I, cap. VII, § 2) hoc modo: « Sectariorum hoc pro« prium fuit, ut cum a fide deficerent, libros quoque rituales « vel suis erroribus inficerent, vel privata auctoritate im« mutarent. Quid ausi sint in hoc genere Gnostici, Adamitæ, « Pepuziani, et alia hujusmodi monstra, turpe est enar« rare. De Nestorio, sive de Theodoro Mopsuesteno, ejus « magistro, ita Leontius Byzantinus scribit libro III adversus « eumdem Nestorium : *Audet et aliud malum non secun« dum ad superiora; aliam enim missam effutivit, præter « illam quæ a Patribus tradita est ecclesiis; neque reve« ritus illam Apostolorum, nec illam magni Basilii in eodem « spiritu conscriptam; in qua missa blasphemiis, non pre« cationibus, Eucharistiæ mysterium opplevit.* Donatistæ, « ut calumniam catholicis struerent, sparserunt in vulgus « eos solitum sacrificii ritum immutasse, ut patet ex Optato « Milevitano in fine libri III : *Nihil*, inquit, *probavit as« pectus ex iis quibus perturbatus erat auditus. Visa est « puritas, et ritu solito solemnis consuetudo perspecta est. « Cum viderent divinis sacrificiis nec mutatum quicquam, « nec additum, nec ablatum, pax a Deo commendata « volentibus est.* »

§ II.

De liturgia quatenus dogma demonstrat.

Propositio 1ª *Quælibet societas religiosa de facto eam tenet fidem et doctrinam quam clare exprimit liturgia apud ipsam adhiberi solita.* — Ut probetur fidem alicujus populi

esse eam ipsam quam exprimit ipsius liturgia, duo requiruntur et sufficiunt : 1° Ut certum sit per liturgiam quamlibet exprimi aliquam doctrinam. 2° Ut non possit esse diversitas inter fidem seu doctrinam alicujus populi, et fidem seu doctrinam quam clare exprimit liturgia apud ipsum vigens. Atqui hæc duo certa sunt. Et primo quidem, eam esse liturgiæ naturam ut semper et necessario doctrinam seu dogma exprimat, ostendimus in superiori paragrapho. Concordare autem necessario fidem alicujus populi cum fide quam exprimit ipsius liturgia, facili negotio probari potest. Si enim aliquis populus seu aliqua societas religiosa per suam liturgiam exprimeret doctrinam ab ea quam revera tenet, diversam, id faceret vel scienter, vel erronee : atqui neutrum supponi potest : non scienter : tunc enim clerus et populus sciret se fingere et publice profiteri fidem, quam reputaret erroneam et impiam : in tale autem mendacium unanimiter convenire nequeunt clerus et populus absque ulla ratione; id tantum accidere potest per transennam ob incussum metum et illatam violentiam; atque etiam tunc non omnes solent ad vitandam necem aliave detrimenta religionem fingere quam falsam ac proinde sacrilegam existimant; sed multi resistunt et mortem anteponunt. Quæ repugnantia ad fingendam falsam religionem, apud catholicos præcipue populos summa semper erit; quia hoc ipso quod sint catholici, pro certo tenent hujusmodi publicam apostasiam scelus esse quammaximum. Unde, seclusa violentia, impossibile est societatem aliquam religiosam, christianam præsertim et catholicam, consentire ad profitendum scienter per cultum externum et publicum seu per liturgiam, falsam atque impiam religionis doctrinam. Sed neque id accidere potest erronee, saltem quoad eas liturgiæ partes quæ *clare* doctrinam seu dogma exprimunt. Hoc ipso enim quod doctrina supponatur per liturgiam *clare* expressa, omnis generaliter populus, docti præsertim viri et sacerdotes, advertent doctrinam illam esse fidei suæ contrariam, et fraudulenter liturgiæ introduc-

tam. Unde si quis tentaret subdola liturgiæ immutatione populum aliquem trahere ad publice profitendum aliquid dogmatis, fidei apud eumdem populum vigenti oppositum, fraus ejus statim aut saltem brevissimo tempore cunctis manifesta foret; nisi forte ita ambiguis verbis aut ritibus novam doctrinam exprimeret, ut nonnisi difficile novitatem et a fide sua diversitatem populus discernere posset. Ergo quoad eam doctrinam quæ *clare* in aliqua liturgia exprimitur, accidere nequit (extra casum timoris aut violentiæ ad fingendum impellentis) ut diversa sit a fide ipsa quam tenet populus ea liturgia utens.

Propositio 2ª. *Dogma quodcumque rigorose demonstratur verum ex eo quod clare exprimatur in liturgia Ecclesiæ Romanæ et majoris partis cæterarum ecclesiarum Sedi apostolicæ unitarum.* — Vera enim Christi Ecclesia errare seu errorem profiteri non potest : supernaturalem hanc infallibilitatis prærogativam ei asseruit et pollicitus est Christus; et isto fidei articulo tota nititur Ecclesiæ auctoritas. Atqui erraret Ecclesia et portæ inferi adversus eam prævalerent, si falsum esset dogma quodcumque in liturgia Ecclesiæ Romanæ et multarum aliarum ipsi unitarum clare expressum : nam, ex præcedenti propositione, quælibet ecclesia eam tenet doctrinam et fidem quam ejus liturgia clare exprimit; ergo Ecclesia Romana et aliæ prædictæ ecclesiæ falsum dogma in suis liturgiis clare exprimentes, hoc ipso illud erroneum dogma tanquam partem suæ doctrinæ et fidei tenerent, et profiterentur, ac proinde errarent in fide. Sed si error invadere possit Ecclesiam Romanam et majorem simul partem cæterarum ipsi unitarum, id est, sponsæ Christi caput simul cum majori corporis parte, jam sponsa illa immaculata dici nequit et infallibilis : ergo cum certum sit e contra infallibilem esse Ecclesiam catholicam in profitenda fide, certum pariter est non posse Ecclesiam Romanam simul cum multis aliis sibi unitis ecclesiis erroneum dogma profiteri; ergo certum est non posse falsum dogma clare exprimi in Romanæ Ecclesiæ et multarum simul aliarum ecclesiarum

ipsi unitarum liturgiis; ergo ex eo solo quod dogma quodcumque in hujusmodi liturgiis clare expressum reperiatur, rigorose demonstratur verum. Idem ratiocinium sic alia forma exponi potest: errat Ecclesia catholica, si erret Ecclesia Romana simul cum majori parte cæterarum ecclesiarum sibi unitarum: errat Ecclesia Romana cum majori parte ecclesiarum sibi unitarum, si cum istis ecclesiis erroneam teneat fidei doctrinam: prædictæ ecclesiæ erroneam tenent fidei doctrinam, si falsum aliquod dogma clare in suis liturgiis exprimant (in præcedenti enim propositione probatum est a qualibet ecclesia teneri eam fidei doctrinam quam ejus solita liturgia clare exprimit): ergo, cum errare nequeat Ecclesia catholica, non potest ullum erroneum dogma reperiri clare expressum in liturgia Ecclesiæ Romanæ et simul in liturgiis multarum ipsi unitarum ecclesiarum: ergo ex eo quod aliquod dogma reperiatur in dictis liturgiis clare expressum, recte et rigorose concluditur ipsius veritas.

Hinc colligere licet quanta sit liturgiæ vis et auctoritas in re dogmatica: quando nempe aliqua liturgica dogmatis expressio seu manifestatio universalis est, utpote in Ecclesia Romana et majori cæterarum ecclesiarum parte usurpata, tanta est ejus auctoritas, quanta ipsiusmet docentis et profitentis Ecclesiæ catholicæ.

Propositio 3ª. — *Ut dogma quodcumque rigorose demonstrari possit verum, sufficit illud clare in liturgia Ecclesiæ Romanæ exprimi.*—Nam ex præcedenti propositione, falsum esse nequit dogma quod clare in liturgiis suis expressum habent pleræque cum Romana ecclesiæ. Atqui dogma quodcumque in liturgia Romana clare expressum, hoc ipso reperitur eodem modo in quamplurimarum ecclesiarum liturgiis. Nam 900 circiter diœcesibus constat catholicitas; et ex eo ecclesiarum particularium numero, plus quam 760 ecclesiæ Romanæ liturgiam de facto amplexæ sunt et sequuntur, ut duobus ab hinc annis, in eximia sua circa rem liturgicam dissertatione, certis documentis proba-

vit Melchior Dulac. Ergo ex eo solo quod dogma aliquod reperiatur in liturgia Romana clare expressum, legitime et rigorose concludi potest ejus veritas.

Eadem præterea conclusio deducenda venit, etiamsi sola consideretur Ecclesia Romana ac specialis ejus inerrantiæ prærogativa. Sedes enim Apostolica seu Ecclesia Romana, ecclesiarum omnium mater et magistra, in docenda doctrina fidei infallibilis demonstratur, et ut talis habetur unanimi doctorum et scholarum consensu, excepta gallicani systematis haud antiqua et valde restricta dissensione. Imo gallicani doctores cum Bossuetio, Ecclesiam Romanam circa fidei dogmata infallibilem hoc sensu saltem profitentur, quod nonnisi per transennam et non duraturo lapsu errare possit Sedes Apostolica. Porro hoc sufficit ut verum concludi debeat dogma quodcumque in liturgia Romana clare expressum. Nam, ex prima propositione, doctrina fidei in alicujus ecclesiæ liturgia clare expressa, est illius ecclesiæ doctrina et fides. Ergo dogma in liturgia Romana clare expressum, habendum est pariter tanquam Ecclesiæ Romanæ fides et doctrina. Ista autem fidei expressio et professio quæ fit per liturgiam, non est aliquid transitorium; sed e contra aliquid permanens et stabile. Ergo cum Ecclesia Romana, concedentibus gallicanis, errare circa fidem nequeat nisi per transennam et mox reparando lapsu, sequitur eam errare non posse in dogmatibus in sua liturgia clare expressis. Ergo hujusmodi dogmatum, utpote stabilem et permanentem Ecclesiæ Romanæ doctrinam et fidem testantium, veritas, legitime et rigorose concludi potest ex eo solo, quod clare et permanenter in liturgia Romana exprimantur (1).

Tres præcedentes propositiones propriis ratiociniis sta-

(1) Dum hic argumentor in hypothesi gallicani systematis de Ecclesiæ Romanæ per breve tempus fallibilitate, nolim existimet quis illud systema a me tanquam verum aut probabile admitti. Certam esse ipsius falsitatem alias probabo. Præsentis autem thesis veritatem, etiam permisso hoc systemate, vindicari posse, ostendere volui.

bilivimus. Nunc ad auctoritates gradum faciamus; atque ostendamus quomodo eadem doctrina ex generali Patrum et doctorum sensu, et præsertim ex Tridentinæ synodi effatis, confirmari possit.

Propositio 4ª. — *Patres et doctores generaliter tenuerunt posse ex liturgiis dogmatum veritatem demonstrari.* — Sic habet sanctus Augustinus in libro De bono perseverantiæ, cap. 23 : *Utinam tardi corde et infirmi, qui non possunt Scripturas vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit Ecclesia et habebit ab exordiis suis donec finiatur hoc sæculum. De hac enim re quam nunc adversus novos hæreticos tueri et defensare compellimur, nunquam tacuit in precibus suis.... Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis ejus ut crederent?... Quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit*, da illis, Domine, in te perseverare usque in finem; *non solum voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potius super talem ejus benedictionem, et corde credente et ore confitente respondit, amen? Sicut ergo in his orationibus, ita et in hac fide nata est et crescit et crevit Ecclesia.... Nec oraret Ecclesia ut perseveraret in fide Christi,... nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum, ut bonum quod non tenemus nisi ex propria voluntate, non tamen teneamus nisi ipse in nobis operetur et velle. Nam si hæc ab ipso poscit Ecclesia, sed a seipsa sibi dari putat, non veras, sed perfunctorias orationes habet; quod absit a nobis.* (Editio Migne, t. X, p. 1031.)

Hæc Augustini argumentatio tota, ut patet, nititur precationum universali usu in liturgia adhibitarum auctoritate et infallibilitate. Posse autem hujusmodi orationibus aliquid subesse falsi, non tantum non admittit Hipponensis Episcopus, sed cum horrore rejicit, *absit a nobis.*

Eodem ratiocinio utitur sanctus doctor ut Vitali persuadeat donum Dei esse initium fidei, nec nostro tantum libero arbitrio tribuendum : *Dic ergo apertissime nos pro iis quibus Evangelium prædicamus non debere orare ut credant. Exere contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas; et quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, subsanna pias voces.* (Epist. classis tertia, epistol. 217 ad Vitalem. Editio Migne, t. II, p. 978.)

Paulo post in eadem epistola numero 26, sic prosequitur:

Numquid et orare prohibebis Ecclesiam pro infidelibus ut sint fideles ?... Numquid ubi audieris sacerdotem Dei ad ejus altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipsum clara voce orantem ut incredulas gentes ad ipsum venire compellat, non respondebis, amen ? An etiam hujus fidei sanitati contraria disputabis ?

Pariter in libro *De peccatorum meritis et remissione*, ex liturgia in conferendo baptismate adhiberi solita, confutat sanctus doctor hæreticos qui originalis peccati dogma negabant :

Quid de ipsa forma sacramenti loquar ? Vellem aliquis istorum qui contraria sapiunt, mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur ? Ipse certe mihi fuerat responsurus pro eodem parvulo quem gestaret, quia pro se ille respondere non posset. Quomodo ergo dicturus erat eum renuntiare diabolo, cujus in eo nihil esset ? Quomodo converti ad Deum a quo non esset aversus ? Credere inter cætera remissionem peccatorum, quæ illi nulla tribueretur ? Ego quidem si contra hæc eum sentire existimarem, nec ad sacramenta eum parvulo intrare permitterem.

Refert postea Augustinus quomodo aliqui ex iis qui peccatum originale negabant, victi auctoritate formularum et

rituum baptismatis, aliud effugium excogitassent; confitentes nempe parvulum recens natum in peccato quidem esse, sed in peccato quod ipse, quantumvis parvulus, jam in hanc vitam ingressus commiserit : *Falsam igitur vel fallacem tradi parvulis baptismatis formam, in qua sonaret atque agi videretur, et tamen nulla fieret remissio peccatorum, viderunt aliqui eorum nihil exsecrabilius ac detestabilius dici posse atque sentiri.... Non tamen originaliter, inquiunt, sed in vita jam propria, posteaquam nati sunt peccatum habere cœperunt.* (De peccatorum meritis, l. 1, c. 34; edit. Migne, t. X, p. 146.)

Idem recurrit sancti doctoris ratiocinium in libro 6 contra Julianum, capite 5 : *quæ* (Ecclesia catholica) *filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum et a principe mortis erueret..... Sed id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua princeps mundi et a parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses.* (Editio Migne, t. X, p. 829.)

Ex his porro Augustini textibus patet ipsi omnino persuasum fuisse quod supra sustinuimus; nempe : 1° liturgiam esse quamdam dogmatum et fidei expressionem et publicam professionem; 2° nefas esse in dubium vocare doctrinam quam exprimit liturgia universaliter in Ecclesia catholica vigens; 3° ex liturgia proinde hujusmodi, recte et rigorose concludi veritatem dogmatis in ea expressi.

II. Eamdem constat fuisse Hieronymi mentem. In suo enim contra Luciferianos dialogo, capite 4, ad liturgiam tanquam ad decisivam probationem appellat : *An nescis etiam ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actis apostolorum : etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hac parte consensus instar præcepti obtinet.*

III. Fabius Marius Victorinus, quarti sæculi africanus

auctor, in suo contra Arianos de Trinitate tractatu (libro primo), hæreticis tanquam probationem opponit liturgicam formulam quamdam, apud africanas ecclesias tunc temporis adhiberi solitam : *Sicut in oblatione dicitur, munda tibi populum circumvitalem, æmulatorem bonorum operum, circa tuam substantiam venientem.*

IV. Sanctus Cœlestinus Papa, in sua ad Galliarum Episcopos epistola, capite 11, expresse liturgiam tradit tanquam regulam fidei : *legem credendi*, inquit, *statuat lex supplicandi.* Quæ celebris sententia, cum toties in subsecutis sæculis memorata reperiatur, non abs re erit totum contextum oculis subjicere : *Præter beatissimæ et Apostolicæ Sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi Patres, pestifera novitatis elatione dejecta, et bonæ voluntatis exordia, et incrementa probabilium studiorum et in eis usque in finem perseverantiam, ad Christi gratiam referre docuerunt, observationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab apostolis tradita in toto mundo atque in omni catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum ecclesiarum præsules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et, tota secum Ecclesia congemiscente, postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides ; ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus.....*

Ibi certe sanctus pontifex aperte docet liturgiam *quæ uniformiter in omni catholica Ecclesia celebratur* esse credendi legem. Quod iterum commonet in ejusdem epistolæ capite 12, his verbis : *Illud etiam quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu : cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur :*

ut tunc vere appareat quomodo princeps mundi hujus mittatur foras.

V. Ab antiquis Ecclesiæ Patribus, si ad sequentium sæculorum doctores gradum faciamus, multis occurrit doctrina eadem monumentis consignata.

Petrus Diaconus, in suo *De tenenda veritate Scripturarum* libro (pag. 216), ad liturgiam sancti Basilii appellat. Ex liturgia etiam argumentatur Remigius Lugdunensis. Octavo sæculo Felix, Urgellensis episcopus, errorem suum de filiatione Christi argumentis ex liturgia depromptis tentabat defendere : frustra quidem : at factum istud probat generalem persuasionem, a liturgia ad dogmatis veritatem recte illationem fieri. Quando undecimo sæculo ausus est Berengarius corporis et sanguinis Christi in eucharistia veritatem negare, eum impugnavit Guitmondus hac liturgiæ formula tunc temporis adhiberi solita : *Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur.*

Hæc cursim de mediæ ætatis auctoribus indigitamus, ut locum servemus gravissimo doctorum scholæ testimonio; quorum agmini præeat sanctus Thomas.

Beatam virginem fuisse in utero antequam nasceretur sanctificatam concludit angelicus doctor ex instituto in Ecclesia Nativitatis festo. Propositis enim in contrarium objectionibus, subdit hoc modo : « Sed contra est quod Ecclesia celebrat Nativitatem Beatæ Virginis. Non « autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo « sancto. Ergo Beata Virgo in ipsa sua nativitate fuit san- « cta. Fuit ergo in utero sanctificata » (Parte 3, quæst. 27, art. 1). In sequenti vero articulo, ubi sustinet Beatam Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem, seu non fuisse immunem a peccato originali, sic inter alia sibi objicit : « 3. Præterea, sicut dictum est (articulo præcedenti, « argumento *sed contra*), non celebratur festum nisi de « aliquo sancto. Sed quidam celebrant festum Conceptionis

« B. Virginis ; ergo videtur quod in ipsa sua conceptione « fuerit sancta ; et ita quod ante animationem fuerit sancti« ficata. » Cui objectioni respondet hoc modo : « Ad tertium « dicendum, quod licet Romana Ecclesia conceptionem B. « Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem ali« quarum ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis « celebritas non est totaliter reprobanda. Nec tamen per « hoc quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi « quod in sua conceptione fuerit sancta ; sed quia quo tem« pore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum san« ctificationis ejus potius quam conceptionis in die conce« ptionis ipsius. » Unde sanctus Thomas concludebat sanctam fuisse nativitatem B. Virginis ex eo quod universaliter celebraretur festum Nativitatis; immaculatam vero fuisse conceptionem non concludebat ex festo Conceptionis, quia suo tempore non celebrabatur hoc festum ab Ecclesia Romana, sed tantum ex tolerantia in aliquibus locis, et quia insuper putabat per illud festum non clare exprimi dogma conceptionis immaculatæ, ut patet ex sequentibus ejus verbis (1): « Quamvis autem Beata Virgo in originali peccato concepta « fuerit, creditur tamen in utero fuisse sanctificata antequam « nata. Et ideo circa celebrationem conceptionis ejus diversa « consuetudo ecclesiarum inolevit. Nam Romana Ecclesia et « plurimæ aliæ, considerantes conceptionem Virginis in « originali peccato fuisse, festum Conceptionis non cele« brant. Aliqui vero, considerantes sanctificationem ejus « in utero, cujus tempus ignoratur, celebrant Conceptionem : « creditur enim quod cito post conceptionem et animæ infu« sionem fuerit sanctificata. Unde illa celebritas non est « referenda ad conceptionem ratione conceptionis, sed potius « ratione sanctificationis. Sic ergo non est ideo celebranda « conceptio prædicta, quia fuerit sine peccato originali con-

(1) Si tamen ipsius sint ; desumuntur enim ex *quodlibetis,* quæ utrum revera sint doctoris angelici, disputatum fuit.

« cepta. Non enim per hoc tollitur quin fuerit specialius cæte-
« ris præparata, eo quod in ipsa sanctificatione copiosius cæte-
« ris munus gratiæ accepit, non solum ut purgaretur a peccato
« originali, sed ut tota ejus vita redderetur immunis ab
« omni peccato tam mortali quam veniali, ut dicit Ansel-
« mus » (quodlibetum 6, art. 7).

Ex allatis textibus satis patet a doctore angelico tanquam validum habitum fuisse argumentum quo a liturgiis ad dogmata in iis expressa fit illatio. Imo dubium non est quin S. Thomas, si festum Conceptionis universaliter ut hodie celebratum, et objectum ipsius (immaculatam nempe conceptionem) apud omnium mentes clare expressum reperisset, eamdem deduxisset conclusionem ac circa nativitatem. Quemadmodum nempe sanctus doctor suo tempore sic ratiocinatus est : *Celebratur festum Nativitatis; ergo sancta fuit nativitas*, ita hodie diceret : *Celebratur festum Immaculatæ Conceptionis; ergo immaculata et ab originali peccato immunis fuit conceptio.*

Item Suarez assumptam in corpore fuisse Beatam Virginem tanquam certum concludit ex liturgia : « Usuardus et
« Ado in suis Martyrologiis dicunt Ecclesiam celebrare dor-
« mitionem Virginis. Nam *ubi ejus sanctissimum corpus*
« *collocatum sit*, *plus*, inquiunt, *elegit sobrietas Ecclesiæ*
« *cum pietate nescire, quam quid frivolum et apocryphum*
« *inde tenendo docere*. Sed hoc aperte pugnat cum com-
« muni sensu Ecclesiæ, ut constat ex omnium fidelium, tam
« simplicium quam sapientum, mente et sermone, et inscri-
« ptione Romani Martyrologii ac missalis, ex officio illius
« diei in introitu missæ et aliis antiphonis et versiculis, in
« quibus sæpe repetit B. Virginem assumptam fuisse in
« cœlum. Neque est verisimile intelligere de assumptione
« solius animæ, tum.... » (in III partem divi Thomæ, t. II, disput. XXI, sect. 2).

« Sed quæres, qua certitudine hæc veritas tenenda sit (1). »

(1) Nempe B. Virginis assumptio in corpore.

Refert ibi Suarez opinionem eorum qui volebant rem esse de fide, quam confutat hoc modo : « Sed revera non est « (de fide), quia neque est ab Ecclesia definita, nec est « testimonium Scripturæ, aut sufficiens traditio quæ in- « fallibilem faciat fidem. Est igitur jam nunc tam rece- « pta hæc sententia, ut a nullo pio et catholico possit « in dubium revocari, aut sine temeritate negari; atque « adeo videtur habere eum gradum certitudinis, quem ha- « bet alia veritas supra tractata de sanctificatione Virginis (in utero matris » in III partem divi Thomæ, disp. xxi, sect. 2).

Eadem est Suarezii doctrina circa nativitatem B. Virginis : « Quamvis, ait, non sit aperta hæresis hoc negare « (nempe B. Virginem sanctificatam fuisse antequam na- « sceretur), quia hæc veritas non est expresse definita, aut « tradita tanquam de fide, esse tamen censeo erroneum « vel errori proximum; quia est contra communem sensum « sanctorum, et quia Ecclesia celebrat festum Nativitatis « Mariæ. Non celebrat autem nisi quod sanctum est. Qua « ratione utuntur D. Thomas hic, Bernardus, Ildefonsus « et alii » (in III partem S. Thomæ, disp. iii, sect. 2).

Consonat Bellarmini doctrina, qui in suis controversiis (de effectu Sacramentorum, lib. ii, cap. 31) sic animadvertit: « Aliquando ex vetustis cæremoniis melius persuadentur « aliqua dogmata quam multis testimoniis. Certe sanctus Au- « gustinus l. 1, de Peccatorum merit. et remiss., c. 34 et lib. 6 « in Julianum c. 2, apertissime se probare putavit peccatum « originale esse in parvulis ante baptismum, quia secundum « usum Ecclesiæ exorcizantur et insufflantur, et jubentur « per ora gestantium abrenuntiare Satanæ et operibus ejus. »

Magis ex professo de hac re disserentem doctissimum Zaccariam audiamus : « Quis nesciat, ait, nullam esse quæ- « rendæ in fidei rebus veritatis aptiorem viam, quam quæ « ecclesiarum toto orbe existentium, ac Romanæ præsertim, « de illis sententia fuerit investigare... Falsa enim esse non

« potest quam Romana, aut universa Ecclesia per orbem « diffusa tradit doctrina. Unde porro ecclesiarum mens « dignosci tutius possit, quam ex liturgiis, quæ singularum « in quibus usurpantur ecclesiarum vocem ac testimonium « quodammodo exhibent, atque episcoporum, presbytero- « rumque, imo et plebis ipsius suffragia, leges, ritus, « effata, dogmata palam faciunt? Hinc efficacitatis maximæ « visum semper fuit quod e liturgiis petebatur adversus « hæreticos argumentum » (Zaccaria, Bibliotheca ritualis, tomus I, dissertatio 2, caput 2, pagina VIII, editio Romæ, 1776).

« Consensio liturgiarum omnium cum orientalium, tum « occidentalium in aliquo dogmate, firmissimum est illius « argumentum. Consensio enim liturgiarum omnium Eccle- « siæ universæ consensus est; quemadmodum ergo falli « universam Ecclesiam non posse constat, ita quæ a liturgiis « omnibus traduntur, erroris insimulare nefas est » (Ibid. cap. 3, can. 1). (1)

Idem tradit eruditus Renaudotius (Collectio liturgiarum orientalium, dissertatio de earum auctoritate, capite 7) : « Si « quidquam in iis quæstionibus quæ fidem et disciplinam « spectant elucidandis gravissimam auctoritatem habet, testi- « monium omnium ecclesiarum est, præscriptum antiquitus, « et temporum successione continuatum et renovatum. « Magnum in hoc genere pondus habent vetusta traditio, et « consentientium de præcipuis fidei disciplinæque capiti- « bus sanctorum Patrum scripta, decreta conciliorum et « reliqua Ecclesiæ monumenta. Sed inter illa maximam « dignitatem obtinent ea, quæ totius quodammodo Ecclesiæ « vocem et testimonium exhibent, quia ubique cognita et « probata sunt, et in illis non Episcoporum modo, sed plebis

(1) Licet ibi Zaccaria tanquam veritatis argumentum memoret *liturgiarum omnium* consensionem, non tamen excludit ex solius Ecclesiæ Romanæ, vel majoris partis ecclesiarum catholicarum liturgia, posse dogmata demonstrari.

« etiam suffragia continentur. Tales porro sunt liturgiæ, « de quibus hucusque diximus... Sunt enim, non unius « quantumvis magni doctoris voces et verba, sed ecclesia- « rum, quæ cum unanimi consensu eam sacrorum formam « precesque probaverunt : legis illa vim obtinent, qua (si « sacras Litteras excipimus) major esse nulla potest. Nec id « noviter excogitatum est, cum precum Ecclesiæ testimoniis « Augustinus Pelagianos confutaverit ; ut a Cœlestino et aliis « factum est. Ita quidquid in Jacobi græca liturgia legimus, « testimonium totius Ecclesiæ hierosolymitanæ, et aliarum « quæ eadem utebantur, fuit ; quod majus est quam si « apostoli ipsius opus fuisset, cum in canone Scripturarum, « quamvis eum auctorem haberet, recepta non sit. Similiter « in Marci græca aut ægyptiaca, totius ecclesiæ Alexan- « drinæ fidem agnoscimus : ut in Syriacis syrarum, in « Græcis græcarum ecclesiarum. Velim scire num ecclesiæ « orientales omnes recte de Trinitate sentiant : cum ubique « Patrem, Filium et Spiritum sanctum, tanquam unius « substantiæ invocari video, quin fidem in concilio Nicæno « stabilitam profiteantur, dubitare non possum. Ita cum « Mariam Θεοτόκον videmus in precibus liturgicis aut aliis « appellari, scimus illos qui ita loquuntur a Nestoriana « hæresi abhorrere... In illis igitur, non doctoris alicujus « eximii, non concilii, sed totius Ecclesiæ vox auditur, cum « inter se consentiunt ; ut sane mirus illarum in istis omni- « bus (1) consensus est. »

Non alia est Bossuetii doctrina, ut satis testantur hæc ipsius verba : « Le principal instrument de la tradition de « l'Église est renfermé dans ses prières, et soit qu'on regarde « l'action de la liturgie et le sacrifice, ou qu'on repasse sur « les hymnes, sur les collectes, sur les secrètes, sur les

(1) Nempe fidei capitibus, quorum enumerationem auctor paulo ante absolverat his verbis : *Et omnia tandem fidei capita sacris illis precibus breviter sed perspicue continentur.*

« post-communions, il est remarquable qu'il ne s'en trou« vera pas une seule qui ne soit accompagnée de demandes « expresses. » (Les états d'oraison, édit. Lebel, tom. XXVII, p. 208).

« J'ai fondé l'adoration de Jésus-Christ comme Dieu sur une « tradition incontestable : elle est claire dans la collecte du « jour de l'Épiphanie, puisqu'on y lit ces paroles : *O Dieu « qui avez révélé aujourd'hui votre Fils unique aux gentils, « sous la conduite d'une étoile!* Qui dit fils unique, dit un « Dieu de même nature que son père; et si M. Simon ne « le veut pas croire, l'Église le confondra par la conclusion « ordinaire de la collecte où il est porté que *ce même Fils « unique Jésus-Christ est un Dieu qui vit et règne avec « son Père dans l'unité du Saint-Esprit.* Cette collecte est « de la première antiquité, et se trouve dans les plus anciens « sacramentaires. Nos critiques ne s'arrêtent pas à ces éru« ditions ecclésiastiques : elles ne sont pas assez savantes « pour eux; mais enfin l'Église ne change pas pour l'a« mour de M. Simon la maxime de saint Augustin qui as« sure que *la foi de l'Église se trouve dans ses prières;* « ni la règle inviolable du pape saint Célestin, que *la loi de « prier établit celle de la foi* » (Lettres sur la version du Nouveau Testament de Richard Simon, édit. Lebel, tom. IV, p. 413).

Fenelonius, rationem inquirens cur fideles teneantur quorumdam conciliorum particularium decreta recipere, aliorum vero rejicere, sic asserit : « La différence ne saurait venir « de la nature de ces sortes de conciles particuliers, puisque « les uns et les autres sont dépourvus de toute infaillibi« lité promise. Il est donc manifeste que la différence ne « vient que d'un seul point. C'est que les conciles assemblés « contre Arius et contre Pélage décidèrent en faveur d'une « doctrine que l'Église universelle autorisait actuellement « par l'adoration publique de Jésus-Christ, par les cérémo« nies du baptême pour chasser le démon des enfants, et

« par les prières de la liturgie où la grâce intérieure était « sans cesse demandée à Dieu pour accomplir ses comman- « dements » (Œuvres de Fénélon, tom. XII, pag. 397, édit. de Versailles).

Præclara sunt et maxime attendenda verba doctissimi æque ac pietate conspicui Domini Languet, Senonensis archiepiscopi :

« Le dernier laïque, prêtant l'oreille aux chants qui se « font entendre dans l'église qu'il fréquente, connaît.... que « le monde entier professe unanimement et a constamment « professé par la tradition la plus ancienne ces vérités capi- « tales qui sont exprimées dans les liturgies..... Or, une « chose consacrée par l'usage antique et universel est gardée « d'erreur par les promesses mêmes de Jésus-Christ, qui as- « siste toujours son épouse et lui garantit la foi par sa pro- « pre vérité, et la sagesse du gouvernement par sa propre « prudence. » (Œuvres de Languet, in-fol., t. II, p. 1231).

« La tradition n'est-elle donc pas aussi une parole de « Dieu, une règle de foi ? Mais en quel monument nous ap- « paraît plus sûrement et plus efficacement cette sainte tra- « dition, que dans ces prières composées dans l'antiquité la « plus reculée, employées par la coutume la plus univer- « selle, conservées dans la plus constante uniformité ?... Il « est plusieurs dogmes de notre foi dont nous ne pouvons « prendre la connaissance distincte que dans la tradition, « et il n'y a pas de monuments à la fois plus précis et plus « sûrs pour défendre ces dogmes, que les prières mêmes de « la messe » (Loco citato, page 1332).

In sua instructione pastorali diei 20 Augusti 1696, idem asserebat cardinalis de Noailles, Parisiensis archiepiscopus : « C'a été en cette matière, dès les premiers temps, une rè- « gle invariable des saints Pères, que *la loi de la prière* « *établit celle de la foi*, et que, pour bien entendre ce que « l'on croit, il n'y a qu'à remarquer ce que l'on demande, « *ut legem credendi lex statuat supplicandi.* »

Concordat Mabillonius (in suo opere de liturgia gallicana, l. I, p. I) : « Cum varia sint argumenta quæ veram « in eucharistia Christi corporis sanguinisque præsentiam « probant, non inferiorem in his locum tenent augustissimi « ritus ac solemnes illæ preces, quibus christianæ ubivis « gentium legitimæ societates ab initio in re sacra usæ sunt. « Id enim modis omnibus agit Spiritu sancto animata Ec- « clesia, ut magnum aliquid ac plane divinum hoc sacri- « ficio contineri palam protestetur.

« Le degré d'autorité des liturgies, inquit Bergier, est « très-différent de celle de tout autre écrit : quel que soit « le nom quelles portent, c'est moins l'ouvrage de tel au- « teur, que le monument de la croyance et de la pratique « d'une église entière..... Le pape saint Célestin proposait « cette règle aux évêques des Gaules lorsqu'il leur écrivait : « ... *par la manière dont nous devons prier, apprenons ce « que nous devons croire.* Ainsi ce pontife attestait l'au- « thenticité et l'autorité des liturgies : elle n'est pas dimi- « nuée depuis douze cents ans ; jusqu'à la fin des siècles « elle sera la même. C'est donc aujourd'hui un très-grand « avantage pour les théologiens de pouvoir consulter et « comparer les liturgies de toutes les communions chré- « tiennes : il n'est aucune preuve plus convaincante de « l'antiquité, de la perpétuité, de l'immutabilité de la « foi catholique, non-seulement touchant les dogmes con- « testés par les protestants, mais à l'égard de tout autre « point de croyance » (Dictionnaire théologique, au mot Liturgie).

Ex adductis citationibus patet communem et constantem doctrinam Patrum et doctorum circa valorem liturgiæ dogmaticum, posse resumi sub hac formula : *quando liturgiæ catholicarum ecclesiarum aliquod dogma universaliter et concorditer exprimunt, dogma illud falsum esse nequit.* Quomodo autem intelligant *universalem* esse debere liturgicam dogmatis manifestationem, ut ex illa rigorose de-

duci possit dogmatis ipsius sic expressi veritas, utrum nempe necesse sit ut omnes omnino omnium locorum et temporum liturgiæ dogma illud uniformiter proferant, non expresse dicunt. At ex ipsorum ratiocinandi modo facile concludi potest quid senserint, ut in sequenti propositione ostenditur.

Propositio 5ª. *Ita intelligenda est communis Patrum et doctorum sententia de liturgiæ valore dogmatico, ut dogmatum veritas deduci possit, tum ex moraliter sumpta liturgiarum universalitate, tum etiam ex sola Ecclesiæ Romanæ liturgia.*—Ex textibus sub præcedenti propositione adductis, videntur Patres et doctores *universalem* quamdam in liturgiis concordiam requirere, ut ex eis possit dogmatis alicujus veritas legitime concludi. An autem requirant universalitatem *absolutam*, id est, omnium omnino locorum et temporum; an vero *moralem* tantum, id est, quamplurimarum ecclesiarum, id expresse non tractant : item an sola sufficiat, ad dogmata probanda, RomanæEccclesiæ liturgia, apud eos ex professo discussum non reperimus. Cum scilicet eas veritates tuerentur quas liturgiarum universalitas firmabat, illud tantum universale liturgiarum testimonium plerumque invocarunt. A determinandis autem hujusmodi universalitatis conditionibus, itemque a ponderando valore dogmatico liturgiæ Romanæ seorsim spectatæ, tanquam a quæstionibus ad scopum suum non necessariis abstinuerunt.

At vero si attendatur ad principium ex quo arguunt, satis patet eam fuisse eorum mentem, ut etiam dogmatum veritas concludi possit tum ex moraliter universali testimonio liturgiarum, tum ex sola Romanæ Ecclesiæ liturgia. Pro principio enim et fundamento, quo totam argumentationem suam exstruunt, adducunt hanc doctrinæ catholicæ regulam : *Non posse Ecclesiam universalem in profitendo aliquo dogmate errare.* Porro principium istud urget ad concludendum etiam quoad *moraliter* universale liturgiarum testimonium. Nam non tantum repugnat omnes omnino catholicas

ecclesias in profitendo aliquo dogmate errare; sed neque potest istiusmodi error Ecclesiam Romanam simul cum multis aliis, id est, universalitatem ecclesiarum *moraliter sumptam*, invadere. Si enim sponsa Christi in capite simul et multis membris posset maculari et a recta fide deficere, jam falsum esset eam esse infallibilem et portas inferi contra ipsam prævalere non posse.

Item si seorsim consideretur Romana Ecclesia, cum sit caput totius corporis Christi, ecclesiarumque omnium mater et magistra, dicenda etiam est non posse in profitendo aliquo dogmate errare. Quia alioquin ipsa Ecclesia catholica, cujus est caput, erroris esset insimulanda. Ergo si ideo liturgia universalis sit probatio dogmatum, quod repugnet Ecclesiam universalem in profitendo aliquo dogmate errare, liturgia Romana pariter dogmata demonstrabit, cum etiam repugnet apud Ecclesiam Romanam erronei alicujus dogmatis publica professio. Adde liturgiam Romanæ Ecclesiæ esse de facto liturgiam quamplurimarum aliarum ecclesiarum; unde erroris professio apud illam ecclesiam, de facto simul inficeret ecclesiarum moraliter sumptam universalitatem. Ergo principium quo nituntur Patres et doctores ad tribuendum liturgiæ universali valorem dogmaticum, urget ad eumdem valorem tribuendum liturgiæ Romanæ seorsim spectatæ.

Propositio 6ª. *Ex Tridentina synodo constat valere Romanam liturgiam ad rigorose probandam veritatem dogmatum.* — Sic loquitur sancta synodus capite 10 sessionis sextæ : *Hoc justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat : da nobis, Domine, fidei, spei et charitatis augmentum.* Porro ex illo textu sic argumentari licet : precatio citata, *Da nobis, Domine, etc.*, est collecta missalis romani dominicæ 13 post Pentecosten. Collectam autem illam dicit sancta synodus esse *orationem Ecclesiæ;* hoc enim æquivalenter exprimunt verba ista : *Hoc petit Ecclesia, cum orat : da nobis, Domine, etc.* Ergo Tridentina synodus supponit orationes in liturgia Romana expressas esse ipsiusmet

Ecclesiæ orationes; ac proinde his orationibus exprimi sensum et doctrinam Ecclesiæ catholicæ; ac proinde posse ex ipsis tutissime concludi veritatem doctrinæ quam exprimunt.

Idem erui potest ex sequenti ejusdem synodi textu : *Cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat : is enim constat, cum ex ipsis Domini verbis, tum ex apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus* (sess. 22, cap. 4). *Si quis dixerit canonem missæ errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit.* (Sess. 22, can. 6). Sedulo animadvertendum est canonem liturgiæ Romanæ maxima ex parte constare formulis a Romanis Pontificibus institutis. Nam præter paucula verba sacræ Scripturæ quibus constant formula consecrationis et oratio *Pater noster*, et præter ritus quosdam ex traditione apostolica acceptos, cæteræ duodecim precationes fuerunt variis temporibus paulatim a Romanis Pontificibus additæ atque præscriptæ. In liturgia autem orientali diversæ omnino sunt. Nihilominus Tridentinum concilium pronuntiat canonem illum omni errore purum *ex ea ratione* quod constet sanctorum Pontificum piis institutionibus, et anathemate percellit eum qui diceret canonem missæ errores continere. Ergo supponit sancta synodus errorem reperiri non posse in iis precationibus et ritibus quibus constat Romanæ Ecclesiæ liturgia. Notetur argumentationis nostræ vim non niti ipsa synodi definitione, qua declaratur canon erroribus immunis, sed ratione a Patribus allegata ad talem definitionem emittendam. Utuntur scilicet his verbis : « is *enim* constat sanctorum Pontificum piis institutionibus. » Quod idem est ac si dixissent : non enim

erroneæ esse possunt liturgicæ formulæ quas sancti Pontifices pie instituerunt.

Equidem posset quis contendere effatum synodi non esse absolutum, sed restrictum ad casum quo liturgicæ hujusmodi institutiones fiunt et *pie*, et a *sanctis* Pontificibus : At, ex sensu obvio, non videntur duæ illæ particulæ tanquam restrictivæ conditiones fuisse a Patribus Tridentinis adjectæ.

Propositio 7ª. — *Ergo rejicienda est opinio eorum qui putant ex liturgiis non recte probari dogma, nisi ostendatur expressum in omnibus omnino liturgiis, non exceptis veteribus quæ in Oriente floruerunt et etiam hæreticis et schismaticis.*—In hanc opinionem reperimus abiisse auctores eximii operis cui titulus *La perpétuité de la foi* (t. III, p. 238, édit. Migne) : « C'est elle (l'Église) qui « parle et agit par ses ministres, lorsqu'ils les (les liturgies) « emploient dans l'action la plus sacrée de la religion; ce « qui donne à ces prières une autorité fort supérieure à « celle que leur pourraient donner les noms des plus grands « saints de l'antiquité. Car il n'y en a aucun, si on en ex- « cepte les écrits des apôtres et des disciples qui sont reçus « dans le canon des Écritures, auquel on puisse attribuer « le privilége que Jesus-Christ a donné à son Église de ne « tomber dans aucune erreur. Ainsi on peut être assuré « que des prières et des formules qu'elle a approuvées par « un usage immémorial, et par un consentement général « de tous les pays et de tous les siècles, ne peuvent être « que conformes à la tradition des apôtres et de leurs suc- « cesseurs, auxquels a été faite la promesse de Jésus-Christ « d'être avec eux jusqu'à la consommation du siècle. C'est sur « ce principe que saint Augustin s'est servi des prières de « l'Église, comme ont fait aussi d'autres Pères pour com- « battre les hérétiques.... et ils en tiraient un grand argu- « ment contre les donatistes. Cela doit s'entendre de cette « partie essentielle des liturgies qui est commune à toutes « les églises, orthodoxes, schismatiques, hérétiques, grecques,

« syriennes, égyptiennes, éthiopiennes, arméniennes, qui « ont été et qui sont encore en Orient. »

Qui hæc scripsit, totus et ipse nititur privilegio inerrantiæ quo Christus Ecclesiam suam munivit. Sed quomodo non vidit, ut infallibilis sit Ecclesiæ doctrina, minime necesse esse ut omnes omnino ecclesiæ, etiam hæreticæ et schismaticæ, idem doceant? Alioquin incerta erunt decreta Nicæna, quia ea non admittebant ecclesiæ arianæ; quod et de cæteris hæresibus dicendum venit. Quomodo non vidit certum esse quod hodie docet et definit Ecclesia, licet idem expresse non definierit antiquitus? Alioquin nulla valebit Ecclesiæ definitio, quia antea res adhuc disputata et nondum definita. Hujusmodi opinionis patronos sic alloquemur : admittitis *primo* Ecclesiam catholicam esse in docendo infallibilem : admittitis *secundo* hanc inerrantiæ prærogativam *constanti* saltem doctrinæ Sedis apostolicæ competere, cum et ipsi gallicani teneant non posse Romanam Ecclesiam per longum tempus in fide errare, sed tantum brevissime et non duraturo lapsu : admittitis *tertio* Ecclesiam per liturgias suas vere et proprie docere, et hoc principium summo zelo urgetis, ut ostendatis ex liturgiarum concordia posse dogmatum per eas expressorum veritatem demonstrari. Si ergo infallibilis sit Ecclesia Romana dum aliquid dogmatis constanter docet; si aliunde per liturgiam fidem profiteatur et doceat; quomodo non videtis certam hoc ipso esse doctrinam quæ in liturgia Romana expressa reperitur? Liturgiam enim suam non mutat Ecclesia Romana singulis diebus aut mensibus; atque adeo erronea dici nequeunt dogmata per illam liturgiam expressa, ex eo quod (juxta gallicanos) Ecclesia Romana possit ad breve tempus circa fidem errare. Quomodo non videtis certam a fortiori esse doctrinam quam simul cum Ecclesia Romana in suis liturgiis exprimunt et profitentur plurimæ orbis catholici ecclesiæ? Ergo ut ex liturgia certo concludi possit dogmatis alicujus veritas, non necesse est ut omnium tem-

porum liturgiæ dogma illud exprimant; neque requiritur ut expressum reperiatur in omnibus omnino hodiernis liturgiis; neque præsertim ut occurrat in veteribus aut recentibus hæreticorum aut schismaticorum libris liturgicis; sed prorsus satis est ut, vel olim expressum fuerit, vel hodie exprimatur sive in sola Romana liturgia, sive in illa simul et multarum aliarum ecclesiarum liturgiis : quia nempe neque olim potuit, neque hodie potest, neque in futurum poterit errare in docenda et profitenda doctrina fidei, sive Ecclesia Romana seorsim considerata, sive illa Ecclesia simul cum multis aliis. Cæterum hoc ipso quod aliquid dogmatis liturgice ab Ecclesia Romana doceatur, idem (ut supra adnotavimus) docet quamplurimarum ecclesiarum catholicarum liturgia; cum de facto maxima pars ecclesiarum Romanam liturgiam sequantur.

Propositio 8ª. — *Contra doctrinam in præcedentibus propositionibus stabilitam difficultatem facit systema eorum qui putant posse praxes Ecclesiæ, etiam quando clare doctrinam exprimunt, niti opinionibus tantum probabilibus.*—Fatendum est eam fuisse aliquorum auctorum opinationem, ut possit Ecclesia aliquid generali praxi frequentare, quod, licet dogma seu doctrinam exprimens, non nitatur tamen nisi opinione probabili; ita ut absolute evenire possit ut falsa reperiatur doctrina quam talis praxis aperte exprimeret.

Sic Vasquez (de Eucharistia, disput. 228, cap. 3, n. 12, t. VII, p. 451), postquam sustinuit non posse offerri missæ sacrificium pro catechumenis sive viventibus sive defunctis, sibi textum objicit cujusdam *ordinis romani*, qui Caroli Magni ævum sapit, et ex quo videretur praxis contraria tunc temporis generalis fuisse. Primo quidem respondet per hunc textum non probari sanctissimum sacrificium proprie et directe pro catechumenis fuisse oblatum; sed postea ad hanc secundam responsionem recurrit : « Respondere quis « posset, quod attinet ad essentiam et substantiam sacra-

« mentorum, Ecclesiam semper eam doctrinam dictis et « factis probasse quæ certa et indubitata est; at vero quod « attinet ad alia accidentaria, non omnino indubitatam, « sed probabilem opinionem aliquando in praxi secutam, « aliquid fecisse, tametsi non tanquam certum dogma « fidei declaraverit. »

Hæc vero posterior Vasquesii responsio æquivalet isti : etiamsi nono sæculo generaliter in Ecclesia catholica viguisset praxis sacrificium pro catechumenis proprie et directe offerendi, non *absolute certum*, sed *probabile* tantum foret posse sacrificium hoc modo offerri; eo quod Ecclesia possit opinionem probabilem tantum, in accidentariis sacramentorum sequi. Porro ex ea Vasquesii doctrina sequeretur non posse aliquod dogma ex liturgia universali, illud clare exprimente, verum demonstrari, nisi aliunde constet dogma illud ad essentialia, et non ad accidentalia tantum, pertinere (1).

Quem locum Vasquesii citat Veron, dum in sua *Regula fidei* (caput. I, § 4, n° 4) sustinet posse aliquam universalem Ecclesiæ praxim fundari opinione tantum probabili. Ejusdem autem systematis tramite incedens De la Hogue

(1) Eo sensu Ecclesia aliquando sequitur opinionem probabilem circa ritus sacramentales, quod ad tutius præscribat eos etiam adhiberi, qui non nisi probabiliter ad valorem sacramenti requiruntur. Sic, verbi gratia, in sacramento confirmationis jubet fieri chrismationem et manuum impositionem, licet indubitata non sit utriusque ritus ad sacramenti valorem necessitas. At dum ita præscribit et in praxi rem sacramentalem peragit, nullatenus liturgice exprimit et profitetur, talem et talem ritum esse de necessitate ad valorem sacramenti adhibendum. At vero dum Ecclesia in sua liturgia universali aliquod dogma clare exprimit et profitetur, nunquam sequitur opinionem probabilem; etiamsi tale dogma exprimat per ritum ad essentiam sacramenti non pertinentem. Dum, verbi gratia, in baptismate exsufflationes et orationum formulas adhibet ad pellendum dæmonem, certa fit, et non tantum probabilis, fides Ecclesiæ de præsentia dæmonis et peccati originalis in puero recens nato et nondum baptizato. Item si Ecclesia catholica proprie et directe sacrificium offerret pro catechumenis vivis et defunctis, certum inde fieret, posse hoc modo sacrificium offerri.

(cursus theologicus a D. Migne editus, t. IV, p. 645), logice adducitur ad negandum verum esse *generaliter et absolute* Augustini dictum, *quod est contra fidem et bonam vitam Ecclesia nec docet nec facit;* atque illud S. Cœlestini effatum, *legem credendi statuat lex supplicandi.*

Ego vero fateor istiusmodi doctrina, si vera esset, omnino pessumdari vim liturgiæ dogmaticam. Quoties enim aliquis catholicus doctor unanimem adduceret liturgiarum concentum ad probandam alicujus dogmatis veritatem, posset ei responderi : hæc quidem universalis praxis probat ab Ecclesia habitum fuisse dogma illud tanquam *probabile ;* utrum autem habitum etiam fuerit tanquám *certum*, ex sola liturgica praxi quantumvis generali, et quantumvis clare dogma illud exprimente, non probatur; siquidem potest hujusmodi praxis opinione tantum probabili fundari. Nec sua sufficiens servatur liturgiæ auctoritas per distinctionem Vasquesii inter religionis sacramentorumve *essentialia* ac *accidentalia.* Nam posita hac distinctione, non potero ex liturgia concludere veritatem alicujus dogmatis, nisi prius mihi constet illud dogma circa *essentialia* versari. Id autem non mihi constabit ex liturgia ipsa, sed aliunde. Ergo ex sola ipsa liturgia concludi non poterit doctrinæ veritas nec circa *essentialia*, nec circa *accidentalia.* Et certe exsufflationis ritus in baptismate adhiberi solitus ad essentiam sacramenti non pertinet : Augustinus tamen tanta fiducia ex illo ritu concludit præsentiam dæmonis ac proinde peccati originalis in parvulo recens nato et nondum baptizato, ut exsufflandum de Ecclesia pronuntiet eum qui talem ritum pro sufficienti hujus dogmatis probatione non haberet.

Unde revera opinio quam exponimus pugnat cum doctrina in præcedentibus thesibus stabilita circa vim liturgiæ dogmaticam.

Propositio 9ª. *Præfata opinio omnino falsa est et repellenda.* — Illa enim opinio falsa est et repellenda, ex qua sequeretur Ecclesiam non esse sanctam et in profitenda atque

docenda doctrina fidei infallibilem; ex qua insuper concludendum esset errasse communiter Patres et doctores; atque insuper ipsammet Tridentinam synodum : porro talis est ea de qua agimus opinatio.

Nam praxis generalis Ecclesiæ quæ aliquem errorem clare supponeret aut exprimeret, hoc ipso et ex sua natura fideles universos ad hunç errorem amplectendum impelleret; porro institutio quæ errorem suadet, spargit atque infundit non sancta est, sed prava; ergo si Ecclesia posset instituere et probare liturgiam errores exprimentem, jam a sanctitate deficeret. Deficeret etiam ab infallibilitate in docenda et profitenda doctrina fidei. Nam ex hypothesi per suam universalem praxim affirmaret atque profiteretur doctrinam quæ certa non esset, et quæ erroneà proinde esse posset. Sed si evenire possit ut Ecclesia catholica credat, affirmet et profiteatur errores, jam non est columna et firmamentum veritatis; jam contra eam portæ inferi prævalere possunt; et hoc remanet concludendum, sive errores quos sic profiteretur et admitteret Ecclesia versarentur circa essentialia sacramentorum et religionis, sive circa secundaria. Dum enim Ecclesia manifestat, exprimit et profitetur quid credat, neque in magno neque in parvo errare potest.

Errasset præterea S. Augustinus, qui putavit nequaquam posse falsam dici doctrinam quam clare exprimit praxis aliqua universalis Ecclesiæ. Errasset S. Cœlestinus in suo celebri effato, *legem credendi statuat lex supplicandi*. Errassent generaliter doctores catholici, qui praxim quamcumque universalem Eeclesiæ, modo clare dogma aliquod ad revelationem pertinens exprimat, communiter habent tanquam certum de veritate hujus dogmatis argumentum. Opinio autem ex qua necessario fluunt istiusmodi consectaria, non tantum falsa est, sed etiam temeraria videtur dicenda.

Est insuper eo magis repellenda, quod œcumenicæ synodo Tridentinæ non parum adversetur. Vidimus enim supra

(propositione 6ª) quomodo Tridentini Patres existimaverint posse ex liturgia Romana veritatem dogmatum rigorose concludi. Dum enim ipsimet rationem dant cur omni errore purus sit canon missæ, licet a Romanis Pontificibus maxima ex parte ordinatus et constitutus, ita arguunt : *Is enim constat, cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.* Minimam canonis partem occupant verba Scripturæ sacræ et tradita ab apostolis : maximam orationes a Romanis Pontificibus institutæ. Eæ tamen orationes, *ex ea ratione*, quod sic fuerint in liturgiam auctoritate pontificia introductæ, definiuntur ab omni errore immunes.

Auctores ergo qui prædictam opinionem amplexati sunt, forte non satis ad ejusmodi consectaria attenderunt, et sunt omnino derelinquendi.

Propositio 10ª. *Contra stabilitam doctrinam non valet objectio desumpta ex eo quod, jam universaliter instituto de Immaculata Virginis Conceptione festo, opinio circa illud Deiparæ privilegium probabilis tantum remanserit.* — Ut objectioni illi, quæ gravitate non caret, faciamus satis, tria stabiliemus : 1° Per quoddam tempus revera universaliter celebratum fuisse Immaculatæ Conceptionis festum, quin tamen opinio de immaculata conceptione probabilitatis seu piæ opinionis limites excesserit. 2° Hujusmodi facto minime subverti superius traditam de liturgiæ valore dogmatico doctrinam. 3° Hodie tamen ex liturgia aliisque capitibus certam evasisse prædictam opinionem, licet nondum in articulum fidei transierit. Quo triplici capite semel firmato, tota evanescet proposita difficultas.

I. Aliquando universale fuisse Immaculatæ Conceptionis festum, quin tamen opinio circa illud Deiparæ privilegium extra controversiam abierit et pro certa ab omnibus admitti debuerit, præclare exponit simul et probat Suaresius hoc modo :

« Qua certitudine tenendum sit B. Virginem fuisse sine

« peccato conceptam? Ratio dubitandi est, quia Ecclesia « celebrando festum Conceptionis, videtur canonizasse, seu « auctoritate sua declarasse B. Virginem fuisse sanctam in « ipso conceptionis momento : ergo vel jam hoc est de fide, « vel saltem tam certum, quam indubitatum est summum « Pontificem in canonizatione sanctorum errare non posse... « Dico hactenus nihil esse in hac controversia ab Ecclesia « definitum; ideoque sententiam nostram non esse de fide... « Addo, neque ex festi celebritate colligi posse tantam « certitudinem quanta in alicujus sancti canonizatione « esse solet; quia ipsemet Pontifex qui hoc festum appro« bat, declarat se solum probare sententiam illam ut piam « magisque probabilem. Quod satis est ut pie et sine ullo « periculo possit hoc festum celebrari; quia primario fun« datur in sanctitate Virginis, consequenter vero respicit « circumstantiam temporis ut pie creditam. Et idem dicen« dum est de approbatione religionis quæ in honorem « conceptionis facta est. »

« Dico sententiam asserentem beatam Virginem fuisse « immunem ab originali culpa consentaneam magis esse « non solum rationi, sed etiam sanctorum Patrum doctrinæ « et Ecclesiæ auctoritati, ut ex supra tractatis satis constat. « Quocirca jam hoc tempore existimo sententiam hanc tam « esse probabilem, quam intra latitudinem opinionis esse « potest » (Suarez. in III part. S. Thomæ, quæst. 27, disp. 3. sect. 6).

Duo ibi testatur Suaresius : primo, jam suo tempore celebrari solitum fuisse Conceptionis Immaculatæ festum; secundo, intra probabilitatis fines nihilominus remansisse de eadem immaculata conceptione persuasionem. Nam id concedit ipse Suaresius, licet staret pro ea parte scholæ quæ magis dictæ persuasioni favebat; unde concludere licet, hoc tempore, juxta communem doctorum scholæ doctrinam, rem nondum habitam fuisse tanquam ex earum numero quæ pro omnino certis ex obligatione tenendæ sunt. Expen-

damus nunc an factum hujusmodi pugnet cum doctrina superius a nobis stabilita de liturgiæ valore dogmatico.

II. Ut prædictum factum everteret doctrinam quam propugnavimus circa dogmaticum liturgiæ valorem, necesse foret immaculatæ conceptionis dogma *clare* per liturgiam tempore Suaresii expressum fuisse; atqui liturgia hujus temporis nondum *clare* dogma illud exprimebat: concesserat quidem Sedes apostolica officium et festum de prædicto Deiparæ privilegio; sed simul declaraverat se per talem concessionem non probare persuasionem illam nisi ut probabiliorem : *Ipsemet Pontifex*, ait Suaresius, *qui hoc festum approbat, declarat se solum probare sententiam illam ut piam magisque probabilem.* Et licet tunc concessi officii verba plus minusve innuerent præservatam ab omni labe fuisse Beatam Virginem, prædicta nihilominus Sedis apostolicæ declaratio impediebat ne dogma illud *clare* exprimerent. Imo sensum eorum publica hæc declaratio ita restringebat, ut non permitterentur liturgice adhiberi, nisi quatenus sententiam illam ut piam et probabiliorem, non vero ut omnino certam, exprimentia. Atque ob eam rationem concludit Suaresius rem adhuc remansisse controversiæ obnoxiam. Cæterum, nisi intercessisset illa Sedis apostolicæ restrictio in concedendo Immaculatæ Conceptionis officio et festo, incunctanter Suaresius et alii communiter doctores conclusissent rem omnimo certam esse, nec posse absque temeritate negari. Eam enim conclusionem quoad sanctam Virginis nativitatem et ejus corpoream assumptionem, ex titulo liturgicæ expressionis et professionis deducunt. Ergo nedum quod memoramus factum thesim de dogmatico liturgiæ valore convellat, eam e contra non parum illustrat atque confirmat. At novissimis temporibus mutatus omnino est quæstionis status; quia novum concessum fuit officium, quo clare omnino immaculatæ conceptionis privilegium asseritur, et in cujus concessione nulla intercessit restrictiva interpretatio seu declaratio. Ex quo posteriori facto quid circa immaculatæ

conceptionis certitudinem evenerit, tantisper inquiramus.

III. Pius nempe IX (quem diu nobis Deus incolumem servet) novum concessit officium, quo absque ulla ambiguitate, immaculata in primo etiam existentiæ suæ instanti, Beatissima Virgo declaratur; ut constat ex prima missæ oratione, in qua sic asseritur : *eam ab omni labe præservasti.* Quod et alia ejusdem officii loca satis aperte enuntiant : verbi gratia, *non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Non gaudebit inimicus meus super me. Nihil inquinatum in eam incurrit, etc.* Aliunde Pius IX in ea novi officii concessione, nulla declaratione ecclesias monuit prædicta verba non concedi quatenus in suo genuino sensu intellecta. Ergo jam universaliter in Ecclesia catholica exsistit publica et clara per liturgiam expressio et professio de immaculata Virginis conceptione. Ergo tam certum jam evasit hoc Deiparæ privilegium, quam ejusdem in nascendo sanctitas et assumptio in corpore. Ergo sicut, juxta communem doctorum sententiam, temerarium foret sanctam nativitatem aut corpoream assumptionem negare, ita hodie dicendum quoad immaculatam conceptionem.

Cujus privilegii veritas ex alio etiam capite certa evasit; ex sensu nempe, universali jam et manifesto, totius Ecclesiæ catholicæ. Exceptis enim paucissimis, jam ut certam tenent B. Virginis a labe originali præservationem omnes fideles, omnes doctores, omnes universitates, omnesque ecclesiarum pastores; quod ex recentibus ad Pium IX relationibus omnio palam factum est.

Porro tam vivida, tam alte imbibita, tamque universalis persuasio erronea esse nequit. Persuasionibus enim hujusmodi omnium, quibus Ecclesia constat, fidelium, non posse errorem subesse, est doctrina communiter recepta; quam inter alios ex professo tradit Melchior Canus : « Non solum, « inquit, Ecclesia universalis, id est, collectio omnium fide- « lium, hunc veritatis spiritum sempiternum habet, sed « eumdem habent etiam Ecclesiæ principes ac pastores.

« Diximus enim Ecclesiæ vocem et pro populo fideli, et pro « Ecclesiæ pastoribus usurpari. Priores itaque conclusiones « illud astruebant, quidquid Ecclesia, hoc est, omnium « fidelium concio, teneret, id verum esse : hæc autem (con- « clusio) illud affirmat, pastores Ecclesiæ et doctores in fide « errare non posse; sed quidquid fidelem populum docent, « quod ad Christi fidem attineat, esse verissimum. Hanc « conclusionem mox ostendam, si prius admonuero, pa- « storis unius et alterius errorem, pastorum omnium fidei « non derogare; sicut ne paucorum quidem fidelium error, « fidei derogat populi christiani » (de locis theol. lib. IV, cap. 4).

Valde notandus est ille fidelium consensus in admittenda tanquam certa immaculatæ conceptionis doctrina; quem consensum nostris tandem temporibus universalem evasisse nunc plenissime constat. Non enim tantum probat rei sic creditæ veritatem, sed et in quæstione utrum immaculata conceptio expresse tanquam articulus fidei definiri possit aut expediat, magni ponderis esse potest. De quo præclara Suaresii verba subjiciemus : « Dico primo, inquit, verita- « tem hanc, scilicet Virginem esse conceptam sine peccato « originali, posse definiri ab Ecclesia quando id expedire « judicaverit. Probatur. Nam inprimis Ecclesiam posse « controversiam hanc in alterutram partem decidere, aperte « supponunt Sixtus IV et Pius V in suis decretis; et idem « senserunt omnes Patres concilii Basileensis; et docuit « expresse Abulensis... Sed non potest terminare hanc litem « definiendo contrariam sententiam, cum falsa sit; poterit « ergo hanc nostram definire. Secundo, hoc ita declaratur : « Quia hæc veritas est supernaturalis, multum referens ad « Ecclesiæ utilitatem et pietatem; et pervenire potest ad « eum statum in quo, absque nova et explicata revelatione, « habeat Ecclesia sufficientia motiva ad veritatem hanc defi- « niendam ex implicita et tacita Dei revelatione sibi suffi- « cienter proposita; ergo. Antecedens declaratur; quia sæpe

« Ecclesia sua auctoritate, assistente sibi Spiritu sancto, « similes controversias definivit, absque nova revelatione « expressa, ut potest manifestis exemplis ostendi, in quæ- « stione de habitibus infusis, de canonica auctoritate ali- « quorum librorum sacræ Scripturæ, de carentia omnis « peccati venialis in ipsamet Virgine. Addi etiam potest « exemplum de resurrectione ejus, de gloriosa assumptione, « et de sanctitate nativitatis ejus. Ex his enim aliqua jam « sunt de fide, alia vero sunt fidei proxima; et nullus dubitat « quin tandem possint definiri. Ad hanc definitionem satis « est, ut aliqua supernaturalis veritas traditione vel Scriptu- « ra implicite contenta sit, ut, crescente communi consensu « Ecclesiæ, per quam sæpe Spiritus sanctus traditiones « explicat vel Scripturam declarat, tandem possit Ecclesia « definitionem suam adhibere, quæ vim habet cujusdam « revelationis respectu nostri, propter infallibilem Spiritus « sancti assistentiam. Quod autem hæc veritas hujus ordinis « sit, facile hoc modo declaratur : quia sæpe in Scriptura « indicata est, ut vidimus : deinde ab antiquissimis Patribus, « et (ut creditur) etiam ab Apostolis est tradita. Ad hæc « universali Ecclesiæ concessione paulatim recipitur, non « sine magno animarum fructu; nec sine motione (ut cre- « ditur) Spiritus sancti, qui plenitudinem gratiæ Virginis « ita esse intelligendam, sensim Ecclesiam docet. Potest « igitur hic Ecclesiæ consensus ita crescere, ut tandem « possit Ecclesia absolute et simpliciter rem definire » (in III part. S. Thomæ, quæst. XXVII, disp. 3, sect. 6).

Quæ definitio, quam feliciter regnans Pius IX mente nunc revolvit, utinam ad Deiparæ Virginis gloriam, ad totius Ecclesiæ exultationem, ad novum de erroribus et hæresibus triumphum, ad præsentium malorum levamen, voce Petri tandem in universum orbem personet, infernum concussura, Ecclesiam illuminatura, atque invicto veritatis robore in æternum permansura!

Propositio 11ª. *Contra stabilitam doctrinam non valet*

objectio desumpta ex eo quod facta historica in legendis breviarii, alibive relata, certa per liturgiam non efficiantur.

I. Quam injuste simul et temere sæculo proxime elapso conquestum sit de falsitate historica legendarum romani breviarii, facile hodie evincunt eruditi. Multa scilicet in dictis legendis asserta, quæ decimi octavi sæculi pseudo-liturgistæ carpserant, irriserant atque audacter de medio abstulerant, genuina nunc et omnino certa comperta sunt. Quid, verbi gratia, magis inter fabellas rejectum, quam adventus in Gallias sanctæ Magdalenæ, cum sorore Martha et fratre Lazaro? In eximio tamen de hac re libro Dominus Fayon, e Sulpitiana familia presbyter, suam breviarii Romani legendæ veritatem ita vindicavit, ut jam apud eruditos pro finita causa illa habeatur. Atque item plerasque animadversiones sæculo præterito ad deprimendam liturgiæ Romanæ auctoritatem congestas fundamento destitui asseri potest; ita ut paucissima extent in præfatis legendis quæ probari possint sinceritati historicæ contraria. At permittamus aliqua in eis reperiri historice falsa : id minime officit doctrinæ supra stabilitæ, qua valorem dogmaticum liturgiæ vindicavimus. Nam,

II. Ecclesia, dum hujusmodi facta historica in breviariorum legendis et in martyrologio proponit, sufficienter simul suo modo agendi exprimit hæc facta ad ædificationem tantum in liturgiis poni, non autem tanquam pars doctrinæ fidei. Permittit enim veritatem istorum factorum ab eruditis viris in quæstionem vocari, atque etiam ex eorum animadversionibus quandoque legendas breviarii et textum martyrologii correxit. Id quoad breviarii romani legendas expresse adnotavit Benedictus XIV (de canonizat. l. IV, part. II, c. 13, n° 8) : *licet facta historica*, inquit, *in illo relata et approbata, non modicam habeant auctoritatem, non vetitum est ne modeste et cum gravi fundamento, difficultates de eis excitentur, et Sedis apostolicæ judicio subjiciantur.* Atque idem tradit quoad martyrologium :

Omnia quæ in martyrologium inserta sunt, inconcussæ veritatis non sunt, ut ex repetitis illius correctionibus constat (loco citato, cap. XVII, n° 9). Ergo prædicta facta historica non pertinent ad eam liturgiam qua Ecclesia Romana vel Ecclesia universalis dogma clare profitetur et exprimit. Ergo ex eo quod facta ista non efficiantur certa per liturgiam, non sequitur nutare thesim quæ, veram esse doctrinam, clare in liturgia universali, vel in liturgia romana expressam, sustinuimus.

III. Cæterum omnino certum est hujusmodi facta historica, in liturgiam vel Ecclesiæ Romanæ, vel Ecclesiæ universalis, introducta, nihil continere contra fidem aut bonos mores. Quamvis enim non proponantur tanquam omnino credenda quoad veritatem historicam, adhibentur tamen tanquam aptum ad animarum ædificationem medium. Ecclesia autem catholica errare nequit reputando aptum ad ædificationem quod esset e contra noxium : Nam *quod est contra fidem aut bonos mores Ecclesia nec facit nec docet.* Ergo ex hoc solo quod factum aliquod historicum adhibeatur in liturgia romana vel in liturgia universali ecclesiæ catholicæ, certum fit hujusmodi factum (etiamsi forte non esset historice verum) nihil continere contra fidem aut bonos mores. Qua valde notanda prærogativa carent aliæ liturgiæ particulares. Cum enim quælibet, præter Romanam, ecclesia particularis, nec quoad fidem, nec quoad mores infallibilis sit, accidere potest ut in legendas introducat facta, non tantum historice falsa, sed etiam fidei et bonis moribus contraria.

Corollarium. — *Ergo liturgia certis conditionibus vestita, est locus theologicus et ditissimum traditionis depositum.* — Loci theologici definiri solent, promptuaria seu fontes ex quibus sua theologi depromunt argumenta. Eos Melchior Canus in duplicem primo generaliorem classem distribuit, auctoritatem nempe et rationem : « His enim « duobus modis, inquit, cujusque rei quæ in controversiam

« venit, assensionem facimus. Cum vero in reliquis disci« plinis omnibus primum locum ratio teneat, postremum « auctoritas, at theologia tamen una est in qua non tam ra« tionis in disputando quam auctoritatis momenta quærenda « sunt » (Lib. I, cap. 2).

Varias postea species sub prædicto duplici membro distinguens, decem præcipuos hujusmodi locos theologicos enumerat, « tanquam domicilia omnium argumentorum theolo« gicorum, ex quibus theologi omnes suas argumentationes, « sive ad confirmandum, sive ad refellendum inveniant. » (Ibid. cap. 3). Quam tamen enumerationem fatetur posse alio modo institui : « Locorum ergo theologicorum, in« quit, elenchum denario nos quidem numero comple« ctimur, non ignari futuros aliquos, qui eosdem hos locos « in minorem numerum redigant, alios qui velint etiam « esse majorem... Primus igitur locus est auctoritas sacræ « Scripturæ quæ libris canonicis continetur. Secundus est « auctoritas traditionum Christi et apostolorum. Tertius « est auctoritas Ecclesiæ catholicæ. Quartus auctoritas con« ciliorum, præsertim generalium... Quintus auctoritas Ec« clesiæ Romanæ, quæ divino privilegio et est et vocatur « apostolica. Sextus est auctoritas sanctorum veterum. « Septimus est auctoritas theologorum scholasticorum, « quibus adjungemus etiam juris pontificii peritos... Octa« vus ratio naturalis, quæ per omnes scientias naturali lu« mine inventas latissime patet. Nonus est auctoritas phi« losophorum... Postremus denique est humanæ auctoritas « historiæ » (Loco citato).

Præmissa autem illa generaliter recepta de locis theologicis notione, patet eis liturgiam annumerari posse. Ut enim locus theologicus merito dicatur liturgia, sufficit posse theologos ex eo fonte conclusiones suas certas facere. Atqui, ex hucusque probatis, invocari potest liturgia tanquam validum veritatis dogmaticæ argumentum; siquidem dogmata per liturgiam, sive universalem, sive Ecclesiæ Romanæ, clare

expressa, falsa esse nequeunt, ut supra ostendimus; ergo revera locis theologicis merito liturgia annumeratur.

Quod autem sit ditissimum traditionis depositum, satis patet ex ingenti numero formularum et rituum quibus ecclesiarum doctrina et fides remansit consignata et quasi sigillata. Liturgiæ enim veteres, quid tenuerint antiquæ ecclesiæ testantur. Quid decursu sæculorum de manu ad manum traditum sit, ditissime pariter exhibent liturgiæ contemporaneæ. Ita ut nimius minime fuerit Bossuetius, quando liturgiam vocavit, *principale traditionis instrumentum*.

§ III.

Satisfit variis objectionibus contra dogmaticum liturgiæ valorem.

Præter difficultates quibus supra obviam ivimus, supersunt aliæ, a protestantibus præsertim auctoribus moveri solitæ; quas sub speciali hoc paragrapho colligere et solvere opportunum visum est.

Objectio 1ª. — Primis quatuor sæculis nulla extitit scripta liturgia; ergo parum juvant liturgiæ ad probandum dogma catholicum, præsertim adversus protestantes qui testimonia tantum priorum sæculorum ut certo pura admittunt. Nullam primis quatuor sæculis scriptam fuisse liturgiam, et toto hoc temporis tractu rem liturgicam memoriter tantum fuisse peractam, et sic ad quintum usque sæculum transmissam, tenuerunt et demonstrarunt duo viri inter eruditos conspicui, Lebrun scilicet in sua prima dissertatione, et Joannes Pinius in suo tractatu de veteri liturgia hispanica, cap. 1, § 3.

Responsio. — 1° Omnino controvertitur prædictorum scriptorum opinio, et gravissima sunt argumenta quibus impugnatur. Id facile compertum habebit qui legerit eruditas de hac re dissertationes Merati (in Gavantum, t. I), cardinalis Bonæ cum notis Salæ (t. I, pag. 123), Muratorii (de liturgia romana, cap. 1), et Assemannii (lib. iv, p. 1,

Codex liturg., pag. 137). Hic tantum referemus præstantissimæ auctoritatis viri, patris Zaccariæ, breve aliquod, at peremptorium, ut videtur, ratiocinium :

« Quis enim, ait, persuadere sibi possit, non exiguam « certe orationum, consecrationum, benedictionum, anti« phonarum farraginem, quæ tamen sequentibus sæculis « multum adcrevit, memoriæ ab omnibus episcopis presby« terisve fuisse mandatam, et veluti ex tempore quatuor « sæculis recitatam? Narrat Gregorius Turonensis (Hist. « franc., lib. II, cap. 22), *Sidonium Arvernorum Episcopum « quadam die ad festivitatem basilicæ monasterii Sancti « Cyriaci invitatum adcessisse, ablatoque sibi nequiter « libello per quem sacrosancta solemnia agere consue« verat, ita paratum a tempore cunctum festivitatis opus « explicuisse, ut ab omnibus miraretur, nec putaretur ab « adstantibus hominem locutum fuisse, sed angelum.* « Arvernis ergo miraculum quoddam visum fuit, Sidonium « unius *festivitatis opus* memoriter semel complesse, nec « Brunius Piniusque dubitant isthæc miracula quatuor sæ« culorum spatio amplificare, illaque ad omnes omnium toto « late orbe ecclesiarum ministros extendere? Et illud heic « quoque notandum, cum Sidonius anno 471 Episcopus « sit renuntiatus, annoque 488 aut insequente vita cesserit, « quo tempore illa adciderunt pervulgatum traditione esse « debuisse, uno solum ante sæculo ministros omnes *festivi« tatum opera* memoriter complevisse, uti tunc Sidonius : « Quid ergo tanta Sidonium admiratione prosequebantur « Arverni? Quanquam demus, veram esse Brunii ac Pinii « sententiam, concedamusque quinto primum sæculo litur« gias scribi cœpisse : Illæ utique scripto commendatæ tum « fuerint quæ antea memoriter recitabantur » (Bibliotheca ritualis, tom. I, dissertatio prooemialis 2, pag. LXXXV).

2° Etiamsi vera et indubitata foret Pinii et Brunii opinio, nequaquam sequeretur liturgias valore dogmatico quem ipsis tribuimus destitui; sed tota remaneret earum in demon-

stranda fidei doctrina vis et auctoritas. Nam in hac hypothesi et iisdem fatentibus Pinio et Brunio, liturgiæ quinto sæculo scriptæ nihil aliud essent quam ipsæmet liturgiæ quatuor priorum sæculorum, memoriter quidem, sed summa cura conservatæ et transmissæ. Scriptum nempe fuisset quinto tantum sæculo; at scriptum quod antea frequentari solitum erat, non aliud. Ergo, licet quinto scriptæ sæculo, liturgiæ illæ nihilominus exprimerent et testarentur ecclesiarum fidem et doctrinam per quatuor priora sæcula.

3° Etiamsi (quod falsum et absurdum est) quinto sæculo scriptæ fuissent, non jam vigentes, sed novæ et tunc primum ortæ liturgiæ, maneret adhuc earum ad dogma demonstrandum inconcussum robur : nam testarentur saltem ecclesiarum catholicarum hujus temporis fidem atque doctrinam; porro neque hoc, neque ullo alio tempore erronea esse potuit fides et doctrina multarum ecclesiarum idem cum Ecclesia Romana profitentium; quia alioquin catholicam ipsam Ecclesiam error invadere posset, quod nunquam eventurum promisit Christus. Quomodo autem non vident protestantes Ecclesiam, si quinto sœculo potuit deturpari et a vera Christi doctrina declinare, potuisse etiam quarto, tertio, imo etiam secundo et primo sæculo id obscurationis et ruinæ pati ?

Ergo vera etiam supposita prædictorum Pinii et Brunii opinatione, tota remanet liturgiarum in probanda doctrina fidei vis atque auctoritas.

Objectio 2ª — Liturgiæ veteres sunt libri apocryphi, iis nempe viris attributi qui earum auctores minime fuerunt; ergo invocari nequit in quæstionibus de fide hujusmodi liturgiarum auctoritas. Probatur antecedens : liturgiæ quæ sancti Petri, sancti Marci aliorumque apostolorum nomen præ se ferunt, constat ab impostoribus fuisse confictas. Ab ipsis autem tantorum nominum est usurpata auctoritas, ut populi promptiori animo et majori cum veneratione scripta hæc reciperent. Cæterum inter apocryphos rejiciendos esse ejusmodi libros fatetur catholicorum etiam

quisquis vel modicam de antiquitatibus et arte critices notionem prælibavit. Ita inter cæteros sentiunt Natalis Alexander, cardinalis Bona, Grancolas et Sala. Equidem quoad liturgiam quæ sancti Jacobi nuncupatur putant Bona et Sala cum nonnullis aliis se invicta de ejus authenticitate reperisse argumenta; at apostolum istum hujus liturgiæ auctorem non esse tenent alii cum Natali Alexandro. Idem porro de veteribus ecclesiarum occidentalium liturgiis dicendum venit. Sacramentarium quod sancti Gelasii inscribitur, illo pontifice multo recentius est, ut probavit Basnagius et existimant Pfaff et Hoffmann. Ad sacramentarium sancti Leonis quod attinet, jamjudum derelicta est opinio quæ librum hunc dicto Pontifici tribuebat; atque illius liturgici scripti protoexemplare diu post Leonem magnum fuisse concinnatum, se demonstraturum pollicetur Franciscus Perez Bayer in suo libro cui titulus *Damasus et Laurentius Hispanis vindicatus*, pag. 131. Jam vero liturgiæ quarum origo et auctores sub antiquitatis latebris remanserunt absconditi, quid auctoritatis habere possunt in eliquandis demonstrandisve rebus fidei ?

Objectionem hanc, quod plus cæteris fucum fecisse videatur, voluimus fusiori calamo evolvere, ut magis menti perspecta confutatio inhæreat.

Responsio. — 1° Libenter concedimus cum Natali Alexandro, Tillemontio, aliisque tum scientia tum doctrinæ etiam puritate conspicuis viris, liturgias quorumdam apostolorum nomine insignitas, non fuisse eorum apostolorum opus, saltem quoad omnia quæ continent et quoad formam quam sæculo jam quinto induerant. Imo ne gravem atque inter eruditos adhuc agitatam controversiam ingrediamur, concessionem nostram extendi permittimus ad liturgiam quæ sancti Jacobi dicitur.

2° Atvero subdola et falsaria manu et ex quadam nefaria conspiratione confictas fuisse hujusmodi liturgias, non tantum non conceditur, sed ridiculum esse figmentum facili negotio

Probatur. Inprimis enim negari nequit apostolos apud ecclesias quas fundarunt quasdam instituisse administrandarum sacrarum rerum, Eucharistiæ præsertim, formas, ritualesque leges, seu consuetudines. Illa autem primordialia liturgiæ instituta, fieri non poterat quin, in qualibet nascenti ecclesia, pro rei gravitate et summa erga fundatorem reverentia, serius ocius sedulo colligerentur et conscriberentur. Et licet quædam post apostoli fundatoris obitum adjecta fuissent et in usum inducta, ob præcipuam tamen et fundamentalem partem ab apostolo traditam atque acceptam, nullo melius quam ipsius nomine insigniri decebat primam hujusmodi conscriptam collectionem. Ea vero denominatione nullus decipiebatur, sicut hodie nullus decipitur dum *gregorianum* adhuc vocamus missale romanum, cui post Gregorium magnum multa adjecta, immutata multa, neminem fugit. Ergo quod extent antiquæ liturgiæ nomine apostolorum inscriptæ, licet ipsimet apostoli eas non conscripserint, nullam fraudem, nullam conspirationem prodit ; sed posita ecclesiarum ab apostolis fundatione, id omnino ita evenire debuit.

At præterea, nisi rejiciatur fraudulentæ conspirationis hypothesis, in absurdum necessario itur. Nam liturgiæ istæ plurimos memorant sanctos qui post apostolorum obitum vixerunt, et varias institutiones apostolicis pariter temporibus posteriores. Ergo si admittatur scriptores harum liturgiarum voluisse populis illudere, persuadendo eas tales quales ab apostolis fuisse conscriptas, admittendum etiam est eos voluisse persuadere ab iisdem apostolis scripta fuisse quæ in iis liturgiis dicuntur de viris et eventibus apostolorum obitu recentioribus. Porro absurdum est impostores tantæ stoliditatis fuisse, ut id populis christianis persuadendum quinto sæculo aggrederentur ; et absurdius ecclesias tam stolida impostura fuisse deceptas. Ergo iterum prætensa falsariorum conspiratio in componendis liturgiis et iis inscribendo alicujus apostoli nomine, inter figmenta rejicienda est.

3° An Gelasii opus genuinum sit sacramentarium ejus

Pontificis nomine inscriptum, disputatum quidem est: at jam illud, quale a beato Thomasio editum est, laudato Pontifici esse adscribendum invicte demonstrarunt Muratorius et Vezzozius (vide præfationem in tomum VI operum Thomasii), atque argumenta Basnagii in nihilum redegerunt (1).

De sancti Leonis sacramentario minus explorata res est. Id saltem luculenter firmarunt Muratorius et Ballerini fratres, antiquissimum esse sacramentarium *romanum*, et multa continere sancto Leoni revera adscribenda. Quod autem manuscriptum, quo tanquam typo accommodata fuisse videntur cætera quæ nunc extant exemplaria, post sanctum Leonem exaratum fuerit, id probat transcriptorem voluisse antiquum exemplar describere; ita ut recentior quidem sancto Leone sit codex quem scripsit, non autem opus ipsum quod transcripsit.

Ergo frustra quis persuadere tentaret et apocryphas et nullius auctoritatis esse varias tum Orientis tum Occidentis liturgias, ex eo quod scriptæ non fuerint ab iis quorum nomina præ se ferunt.

4° Sed ulterius progrediamur, et demus quinto sæculo tantum scriptas liturgias, non eas fuisse quæ antea vigebant, sed prorsus novas tunc temporis primum excogitatas, et falsis apostolorum nominibus decoratas. Etiam in ista ridicula hypothesi, liturgiæ hujusmodi plenam vim ad probandam dogmatum veritatem retinerent. Nam etiam tunc verum remaneret per eas liturgias expressam fuisse quamplurimarum ecclesiarum et per plura sæcula fidem et doctrinam. Porro fides et doctrina Ecclesiæ Romanæ et multarum ipsi unitarum ecclesiarum nullo tempore et in nulla hypothesi erronea esse potest; quia Ecclesia catholica infallibilis est, columnaque et firmamentum veritatis. Ergo istæ liturgiæ quocumque modo introductæ sint, et etiamsi

(1) Vezzozius e familia theatinorum non infimum inter eruditos locum sibi comparavit, tum aliis scriptis, tum præclara editione operum beati cardinalis Thomasii ejusdem ordinis. Obiit Vezzozi anno 1785.

a diabolo concinnatæ fingerentur, eo quod de facto fidem et doctrinam Ecclesiæ universalem expresserunt, nullatenus clare enuntiatum errorem dogmaticum continere possunt. Ergo dum clare dogma enuntiant, verum illud esse rigorose probant. Quod sic aliis terminis doctissimus Assemanni adnotavit : « Auctoritas liturgiarum non ex titulis, sed ex usu « ecclesiarum repetenda est; sunt enim non unius, quan« tumvis magni, doctoris voces et verba, sed ecclesiarum, « quæ unanimi consensu eam sacrorum formam precesque « probarunt » (T. III, Cod. lit., p. 28).

OBJECTIO 3ª. — Veteres libri liturgici quales ad nos pervenere, plurimas passi sunt mutilationes, ita ut nihil aliud fere sint quam quædam fragmentorum absque ordine congeries; ergo in demonstrandis rebus fidei immerito ad eos recurritur.

RESPONSIO. — Esto non integri ad nos pervenerint omnes hujusmodi libri, sed multæ eorum partes deperierint. Id tamen quod superest, modo aliunde certo ad talis temporis et talium ecclesiarum liturgiam pertinens, harum ecclesiarum fidem et doctrinam testatur; ac proinde inanis omnino est objectio. Cæterum ditissima sunt quæ ad nos pervenere veteris liturgiæ monumenta; ita etiam ut ex eis solis tota catholicorum dogmatum series probari possit, et hæreseon figmenta penitus convelli.

OBJECTIO 4ª. — Interpolati sunt veteres libri liturgici; ergo nulla est eorum auctoritas. Probatur antecedens ex concessione ipsiusmet Josephi Assemannii, qui, confutans argumenta a Dorchæo (1) contra sancti Jacobi liturgiæ authenticitatem objecta, sic habet (Cod. liturg. Eccles. univers., lib. IV, part. 2, præf. p. XXVIII) : *Haud negamus varias preces fuisse superadditas, aliis breviori summa contractis, ritibus nonnihil immutatis, aut paulo auctis, quod in liturgiis frequens contingit.* Item Vezzozius, dum contra

(1) Dorchæus (Dorsche) e protestantium secta theologus, natus anno 1597, multorum operum auctor.

Basnagium sustinet sacramentarii Gelasiani antiquitatem, fatetur multa post Gelasium fuisse addita atque introducta (præf. in tom. VI operum Thomasii, p. XXII). Et ante Vezzozium Thomasius ipse dixerat (in præfat. ad. Codices sacr., p. VI) : *Huic Codici nonnulla esse apposita sequenti sæculo... Hujusmodi sacros libros non ad meram eruditionem conscribi, sed ad usum potissimum ecclesiarum; inde novas semper accessiones pati oportet, prout ipsa consuetudinis temporisque ratio tulerit.*

Responsio. — 1° Additiones et mutationes de quibus in objectione, nihil introducebant quod dogmati in liturgiis jam contento adversaretur; nec habendæ sunt tanquam interpolationes, sed tanquam pretiosissimæ accessiones et evolutiones. Ea quippe est liturgiæ natura, ut debeat semper aliis atque aliis sanctorum et solemnitatum festivitatibus augeri atque ditari. Illæ autem accessiones minime cum interpolationibus sunt confundendæ : interpolatio enim dicitur textus falsificatio, et interpolationi proprium est ut fiat quasi furtim et absque auctoritate publica. Prædictæ autem accessiones sive etiam immutationes fiebant publica ecclesiarum auctoritate. Absurdum ergo est eas pro interpolationibus habere. Et certe quando Justinianus legem aliquam suo codici addebat, non eum interpolabat, sed ditabat. Idem profecto dicendum quando in suis liturgiis ecclesiæ aliquid addunt aut etiam immutant.

2° Prædictæ accessiones et immutationes nullatenus officiunt liturgiarum auctoritati in probando dogmate. Dum enim ecclesiæ novas in suam liturgiam formulas introducunt, eas hoc ipso probant, et per eas suam fidem et doctrinam exprimunt et profitentur. Unde nihili refert scire utrum aliquid in primitivo alicujus liturgiæ codice scriptum fuerit, an vero postea decursu temporum accesserit : statim ac constat tales ritus et preces apud aliquam ecclesiam in usu fuisse, fidem et doctrinam hujus ecclesiæ testantur; et ibi totum est valoris dogmatici liturgiarum fun-

damentum. Igitur liturgiarum auctoritas omnino independens est a quæstione historica de ipsarum origine atque evolutione. Etiamsi penitus ignoretur quomodo exorta fuerit aliqua liturgia, et quis ipsius auctor fuerit, et quid primitus, quid postea tali vel tali sæculo continuerit, modo constet eam de facto fuisse liturgiam talium ecclesiarum, constabit hoc ipso de illarum ecclesiarum fide et doctrina. Unde si probetur vel Ecclesiam Romanam, vel Ecclesiam universalem aliquid doctrinæ seu dogmatis per suas liturgias unanimiter profiteri aut professas esse, dogma illud hoc ipso demonstratur verum; quia repugnat Ecclesiam catholicam in suo capite, vel in capite simul et membris, erroribus deturpari.

Objectio 5ª. — Liturgiæ ab hæreticis fuerunt vitiatæ; ergo nulla est earum in rebus fidei auctoritas. Probatur antecedens : ex missalibus chaldaicis constat tres extare liturgias nestorianismi venenum recondentes; liturgiam nempe quæ dicitur apostolorum, liturgiam Theodori, et liturgiam Nestorii. De hac ultima dicebat Leontius Byzantinus (libro III adversus Nestorium) : « Audet et aliud malum, non secun« dum ad superiora : aliam enim liturgiam effutivit præter « illam quæ a Patribus tradita est ecclesiis; nec reveritus « illam apostolorum, nec illam magni Basilii in eodem spi« ritu conscriptam. In qua liturgia blasphemiis non preca« tionibus Eucharistiæ mysterium opplevit. »

Item Leo Allatius (1) plures notavit errores in *Triodo*, et in libro *Pentecostarum*, ac nonnullis aliis ecclesiarum græcarum liturgicis voluminibus. Item missali Mozarabico, licet a piis et eruditis viris confecto, labente tamen octavo sæculo aliqui irrepserant textus non parum faventes hæresi *adoptistarum*, eorum scilicet qui dicebant Christum, qua-

(1) Leo Allatius, italice Allacci, laicus, vir eruditionis præclarissimæ, natus anno 1586, et Vaticanæ bibliothecæ præfectus, plura edidit de rebus theologicis et liturgis opera, quorum præcipuum illud cui titulus *de Ecclesiæ occidentalis et orientalis perpetua consensione*.

tenus hominem, *adoptione, non natura*, filium Dei esse. Cujus quidem falsificationis suspectus maxime fuit Felix Urgellensis Episcopus, ipsiusque olim discipulus Elipandus archiepiscopus Toletanus, qui fuerunt præcipui hujus hæreseos fautores. De quo videsis Bonam (rerum liturg., l. 1, c. 11, sect. 2), Brunium (t. II, dissert. 5, art. 2, sect. 2), Joannem Pinium (de Liturgia antiqua, cap. 4, § 3), Leslæum (præf. in Missale Mozarab., p. 35). Citari etiam possunt, tanquam hæreticali labe maculata, *Anaphoron* Dioscori, et *Ordo baptismatis* Severi patriarchæ Antiocheni, quem edidit Guido Fabricius. Cum ergo toties hæretici virus suum in liturgias infuderint, auctoritate destituti videntur veteres libri liturgici ubi de quæstionibus fidei agitur.

Responsio. — 1° Objectio illa probat tantummodo non valere generatim ad probandam rectam fidem liturgias ab ecclesiis hæreticis adhibitas; quod nedum negemus, probavimus supra non posse populum aliquem in hæresim labi, quin noviter receptum errorem in liturgiam suam introducat. Si enim intactam servaret liturgiam hæresi anteriorem, cum illa pura sit, ex hypothesi, est etiam introducendo errori contraria. Unde populus ille, ne suam quotidie audiat condemnationem et a fide antiqua defectionem, liturgiam mutare quodammodo cogitur et suæ hæresi accommodare. Nihilominus multa sunt in ecclesiarum hæreticarum antiquis liturgiis quæ omnino cum recta fide et cum liturgiis catholicis concordant. Porro hæc contra recentes hæreticos summo jure urgentur. Quis non videt, verbi gratia, conclamatam esse et ad nihilum redactam protestantium calumniam, qua affirmant quosdam articulos nuperis temporibus ab Ecclesia catholica fuisse excogitatos et sparsos, quando ipsis exhibentur iidem articuli in antiquis hæreticorum etiam liturgiis expressi? Si antiquitus ipsi etiam hæretici articulos illos profitebantur, apertum mendacium est eos recentibus seculis per falsas decretales aliovemodo fuisse primum invectos. Et hoc sensu magni ponderis quandoque esse possunt etiam hæreticorum liturgiæ.

2° Atvero nos loquimur tantum de liturgiis quæ vel in Ecclesia Romana, vel in cæteris ipsi unitis ecclesiis adhibitæ sunt. Porro hujusmodi liturgias non potuit hæresis corrumpere; alioquin posset ecclesia catholica hæresim amplecti et profiteri. Ergo liturgiæ illæ, hoc ipso quod doctrinam multarum ecclesiarum Sedi apostolicæ consentientium exprimant, erroneæ sive hæreticæ esse nequeunt, ac proinde veritatem dogmatum per eas expressorum rigorose demonstrant. Unde tota objectio extra quæstionem est, nec assertam thesim attingit.

3° Nec dicatur liturgiam hispanicam fuisse primum puram et ab ecclesiis catholicis adhibitam, et tamen in eam errores irrepsisse; unde timendum sit ne idem forte in cæteris ecclesiarum etiam Sedi apostolicæ unitarum liturgiis acciderit. Quamvis enim aliqua dictæ liturgiæ exemplaria ab Elipando et Felice Urgellensi corrupta fuerint, et in sensum sui erroris contorta, existimat Brunius cum Joanne Pinio (delit. antiq. hisp. n. 197) paucissima fuisse hæc exemplaria. Correcta autem fuere, aut etiam destructa, ut putat Leslæus; ita ut cum errore *adoptistarum* evanuerint. Porro hujusmodi factum, nedum thesi nostræ adversetur, eam e contra vehementer confirmat. Probat enim non posse diu permanere errorem qui subdole (favente inadvertentia aut indifferentia generali) in liturgiam alicujus ecclesiæ catholicæ introductus fuisset, et a fortiori non posse talem errorem multum diffundi.

Adde textus ab Elipando et Felice Urgellensi substitutos, non fuisse (ob materiæ subtilitatem) de eorum numero qui *clare fidem et doctrinam ecclesiarum exprimunt;* unde thesim nostram non attingunt.

Objectio 6ª. — Etiam in liturgias ecclesiarum catholicarum irrepserunt errores; ergo non valet in quæstionibus fidei liturgiarum testimonium. Probatur antecedens : ab eruditissimo Renaudoto aliqua monophysitarum hæreseos vestigia reperta sunt in missa quæ S. Gregorio Nazianzeno tribuitur. Porro missa hæc celeberrima olim Alexandriæ fuit,

et non tantum apud monophysitas, sed et apud orthodoxos ægyptios usurpata. Item in aliquibus antiquis Occidentalium missalibus occurrit missa pro levamine animarum damnatarum, et nemo nescit acatholicam esse sententiam qua asseritur posse damnatos per orationes nostras levamen accipere.

Responsio. — Ex objectione sequitur tantum ab errore puram necessario non esse liturgiam alicujus ecclesiæ particularis, aut etiam paucarum ecclesiarum particularium; quod negat nemo. Quæstio autem est, utrum pro vera et certa tenenda sit doctrina quam clare et publice per liturgiam profitentur vel Ecclesia Romana, vel universalitas ecclesiarum catholicarum. Cum ergo objectio memoret tantum errores, qui in liturgiam alicujus vel aliquarum particularium ecclesiarum forte aliquando irrepserunt, extra quæstionem vagatur; nec est cur ipsammet de factis objectis discussionem ingrediamur.

§ IV.

Adhibendæ in probationem catholicorum dogmatum liturgiæ specimen.

Propositio I[a]. *Liturgia Trinitatis dogma verum demonstrat.* — Quam abunde et quam clare dogma illud in hodierna liturgia Ecclesiæ Romanæ exprimatur nemo nescit. Porro liturgia romana, quæ de facto est simul liturgia quamplurimarum ecclesiarum Catholicarum, errorem continere et profiteri nequit, ut supra probatum est.

Sed insuper accedit veterum liturgiarum in exprimendo eodem dogmate perfecta consensio. Sic enim habet sacramentarium Gelasianum : *Hic spiritus Sanctus in eadem qua Pater et Filius deitate indiscretus adcipitur* (editio Thomasii, pag. 46). Item missale gothicum : *Unum te Deum dominantem, distinctum nec divisum, trinum nec triplicem, solum nec solitarium; consona laudamus voce* (apud Thomasi tom. 6, pag. 243). Item in conservatis fragmentis veteris gallicanæ liturgiæ : *In Trinitate divina non est quod*

majus minusve credendum sit... In hac ergo ipsa divinitate si aliud majus quis, aliud minus adserat, et ipse majestati contumeliam facit, quam majorem putat: quia cum æqualis potestas ac dignitas Trinitatis sit, quidquid uni detrahitur, cunctæ procul dubio Deitati æqualiter derogatur (Thomasi loco cit., pag. 381). Tacemus cætera veterum liturgiarum de Trinitate testimonia, cum omnes sciant extare quamplurima. Concludendum ecclesiam catholicam, et hodie, et omnibus retro seculis, fidem de Trinitate ubique terrarum clare et constanter esse professam: verum ergo Trinitatis dogma.

Propositio 2ª. *Liturgia divinitatem Verbi demonstrat, et Arianos Socinianosque confundit.* — Per hodiernam liturgiam romanam, quæ simul de facto est liturgia multo majoris partis catholicarum ecclesiarum, Verbi divinitatem clare et multiplici modo exprimi, omnibus notum est; quod jam sufficeret ad rigorose probandam hujus dogmatis veritatem. Sed accedit præterea veterum liturgiarum unanime testimonium. Extat in sacramentario quod nuncupatur sancti Leonis magni, admirabilis præfatio pro festo sancti Joannis Evangelistæ, in qua sic legitur: *Ut omnem transgrediens creaturam excelsa mente conspiceret, et evangelica voce proferret, quia in principio erat Verbum et Deus erat Verbum, et quia hoc erat in principio apud Deum. Dicendo quippe* ERAT, *perpetuitatem sine initio demonstravit; addendo* ET DEUS ERAT VERBUM ET HOC ERAT IN PRINCIPIO APUD DEUM, *et distinctionem protulit personalem, et unam te cum Filio patefecit habere deitatem.* (Editio Murator., col. 476). Item in sacramentario Gelasiano sic legimus: *Quem semper filium et ante tempora æterna generatum, quia tibi æterno atque perfecto, æterni Patris nomen non defuit, prædicamus* (page 4, edit. de Thomasi). Ibidem pagina 47, Patris potentia *una* atque *æqualis* dicitur cum potentia Filii; et paginis 106 et 107 non minus expressa occurrunt contra Arianos testimonia. Item in missali gothico, pagina 232: *per coæternum tibi Jesum Christum Filium*

tuum. Et ibidem, pagina 256, eadem Filii cum Patre æqualitas omnino perspicuis hisce verbis exprimitur : *qui cum de suo, Genitori esset æqualis*. Item in veteri missali gallicano (editio Thomasii, pag. 577) subtilitatibus Arianorum et Socinianorum omnis aditus præcluditur hac formula : *Qui ex utero ante Luciferum paterno natus infallibiliter, Deus de Deo, unus de uno, lumen de lumine, de sempiterno Patre coæternus Filius, cum quo semper et Spiritu sancto in splendoribus sanctorum sine principio et sine fine regnas et permanes in sæcula*. Item in gothico-hispanico *Precum libro* a Blanchino edito : *Coæterna Dei sapientia* (pag. 35). *Domine Jesu Christe, ante quem nullus est formatus Deus* (pag. 36). *Jesu Domine, qui es æterni Patris Filius coæternus, cujus divinitas ex Patre prolata ortum ostendit, initium nescit* (pag. 37). Concludendum Ecclesiam catholicam et hodie profiteri, et omnibus retro sæculis professam esse fidem in Christum quatenus vere Deum, Patrique coæternum et æqualem. Ergo verum hoc dogma.

Propositio 3ª *Liturgia, contra Macedonianos demonstrat Spiritus Sancti divinitatem*. — In hodierna liturgia romana, quæ de facto, ut sæpe diximus, est simul majoris partis ecclesiarum catholicarum liturgia, pluries exprimi Spiritus sancti divinitatem, omnibus notum est : ex quo solo sufficienter probata remanet hujus dogmatis veritas. Sed et consonat veterum liturgiarum testimonium. Sacramentarii Gelasiani jam citatus textus rem palam facit : *Hic Spiritus sanctus in eadem qua Pater et Filius deitate indiscretus adcipitur*. Item liber gothico-hispanus a Blanchino editus pagina 117 : *Omnium rerum creator et dominus docuit sapientiam, in qua est Spiritus sanctus unicus, simplex, multimodus, subtilis ; ut unus Pater, unus Filius, unus Spiritus sanctus, non pluralitate Deitatis ostensi, sed unitate virtutis innexi, et unione personæ careant, et in unitate naturæ permaneant ; nec sit illic aliquid diversum, ubi in singulis resonat unum*. Remanet ergo hanc de Spiritus san-

cti divinitate doctrinam, et hodie esse, et retroactis sæculis fuisse, Ecclesiæ catholicæ fidem. Ergo verum est illud dogma.

Propositio 4ª. *Liturgia probat Christum Deum simul esse et hominem.* — In liturgia romana abundant textus quibus dogma illud palam exprimitur. Quos, utpote cuique obvios, hic non transcribimus.

At insuper consonant liturgiæ veteres : sacramentarium sancti Leonis sic habet, pagina 314 : *In cœlos ascensio mediatoris Dei et hominum hominis Jesu Christi, a nostra non est humilitate discessio, dum et in ea gloria quam tecum semper habuit, et in ea natura est quam suam fecit ex nobis.* Pagina autem 469 : *In quibus omnibus evidenter Deum hominemque cognoscimus, qui suscipiendo quod nostrum est, dignatus est nobis conferre quod suum est.* Pagina 482 : *Ut unus Christus in Dei atque hominis veritate, nec a nostra divisus natura, nec a tua discretus adoretur essentia.* Item in libro gothico-hispanico a Blanchino edito, pagina 37 : *Homo verus et omnipotens Deus.* Atque ibidem, pagina 64 : *Ut sic nos qui te Deum pariter et hominem veraciter confitentes, unum credimus Christum.* Et pagina 98 : *Maledictus est utique, Domine, omnis homo qui in corde suo fabricat malum, scilicet qui te vel hominem negat esse vel Deum.* Ergo universale de præfato dogmate liturgicum Ecclesiæ catholicæ testimonium; ergo verum et illud dogma.

Propositio 5ª. *Liturgia demonstrat Beatæ Virginis ante et post partum virginitatem.* — De liturgia hodierna Romanæ Ecclesiæ res satis nota est; et hoc liturgicum testimonium per se solum probationem conficit. At idem resonant in gloriam Beatæ Virginis in tota antiquitate liturgiæ : sacramentarium S. Leonis sic habet, pagina 473 : *Quia et mater virgo non posset nisi sobolem proferre divinam, et Deus homo nasci dignatus, congruentius non deberet nisi virgine matre generari.*

Sacramentarium Gelasianum, pagina 9 : *Quæ peperit et*

mater et virgo est; et pagina 11 : *Hancque enim festivitatem index puerperæ virginalis stella præcessit.*

Missale gothicum, pagina 235 : *Nascente Domino virginalis uteri arcana laxata sunt.* Et pagina 255 : *In matre vero virgine etiam corporaliter habitasti.* Et pagina 256 : *Ad te ergo revertimur, Virgo fœta, mater intacta, nesciens virum, puerpera honorata per filium, non polluta... ut mater integra haberet fructum de Spiritu, et incorruptionem de partu.*

Liber gothico-hispanus a Blanchino editus, pagina 24 : *Dominus Jesus Christus qui olim ex Virgine dignatus est nasci, suæ vos genitricis intercessu sanctificet; quique matrem servavit a corruptelæ contagio, sinum cordis vestri emaculet a delicto, et qui eam fecit virginem manere post partum, cœlum vobis tribuat possidere post transitum.* Et pagina 35 : *Deus qui domini David prophetali vaticinio prædixisti novum fieri signum, atque miraculum inauditum, quod virgo Verbum conciperet, quod insolito virginitas parturiret....* Et eadem pagina : *Salvator omnium Jesu Christe, qui novæ operationis efficacia Virginem per angelum visitas, Verbo fœcundas, habituram sine corruptionis injuria prolem, et permansuram cum integritate virginea matrem...* Et pagina 27 : *Intra ejusdem urbis Bethleemiticæ septa genitricem Mariam et materno honore sublimas, et virginitatis honore glorificas; cujus uterum nec ingrediens reseras, nec egrediens violas.*

Item sacramentarium gallicanum a Mabillonio editum (Musæum italicum, t. I, p. 289) : *Missa in vigilia Natalis Domini...: Hodie nascendo Virginem matrem fecit. Missa in sanctæ Mariæ solemnitate... : O magna clementia Deitatis! Quæ virum non novit, et mater est, et post filium virgo est* (ibid. p. 299). Ante missam cui titulus, *Missa in symboli traditione,* sub hac rubrica, *in symbolum ad aurium apertionem ad electos,* sic legere est : *nec Mariam dubites virginem mansisse post partum* (ibid., pag. 312).

Ergo universali voce per liturgiam Ecclesia catholica Deiparæ perpetuam virginitatem profitetur; ergo verum hoc dogma.

Propositio 6ª. *Liturgia Beati Petri et Romanorum Pontificum primatum, etiam jurisdictionis, demonstrat.* — Romanæ liturgiæ, satis nota sunt multiplicia de hoc primatu testimonia. At consonant et tota retro antiquitate liturgiæ. Leonianum sacramentarium, columna 231 : *Pro quo* (nempe ex eo quod Petrus divinitatem Christi professus sit), *magistra omnium credentium fide confessorem tuum cælorum clavibus præfecisti, ut cui ad te per te fuerat accessus, per ipsum cæteris ad regnum tuum pateret introïtus.* Et pagina 333 : *Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili sacramento jus apostolici principatus in romani nominis arce posuisti, unde se evangelica veritas per tota mundi regna diffunderet.* Et columna 337 : *Quidquid sedes illa censuerit, quam tenere voluisti totius Ecclesiæ principatum.* Et columna 341 : *Qui ut hanc sedem regimen totius Ecclesiæ efficeres, et quod hæc prædicasset, ostenderes ubique servandum, simul in ea et apostolicæ principem dignitatis, et magistrum gentium collocasti.* Et columna 344 : *Apostolatus ordine primus* (S. Petrus) *et princeps fidei confitendæ.* Et columna 340 : *Domine Deus, pater gloriæ, fons bonorum, qui licet Ecclesiam tuam toto terrarum orbe diffusam largitate munerum ditare non desinas, sedem tamen beati apostoli tui Petri tanto propensius intueris, quanto sublimius esse voluisti; da mihi famulo tuo hujus providentiæ tuæ dispositionibus exhibere congruenter officium; certus te universis ecclesiis collaturum, quidquid illi præstiteris quam cunctæ respiciunt.* Columna 390, sanctus Sixtus papa vocatur *præcipuus sacerdos.*

Item missale *gothicum,* pagina 315, de eodem Pontifice sancto Sixto sic habet : *Qui dum apostolicæ sedis excepisset insignia, et se primum esse conspiceret sacerdo-*

tum... Item liber *gothico-hispanus*, pagina 124, sanctum Petrum memorat his verbis, *Summus apostolorum;* et pagina 125, de sanctis Petro et Paulo sic habetur : *Quin potius tradentes ad regna cœlorum quos Pauli docentis adduxerit pietas, intromittat Petri potestas.* Item tota fere citari posset missa, quæ sub rubrica *in cathedra sancti Petri* occurrit in sacramentario gallicano, quod edidit Mabillonius (Musæum italiacum, t. I, pag. 297). Ergo universale de Petri et Romani Pontificis primatu liturgiarum testimonium ; ergo verum et illud dogma.

Propositio 7ª. *Per liturgiam probari potest dogma infallibilitatis Ecclesiæ.* —Nam, omittendo hodiernæ liturgiæ romanæ satis nota testimonia, quæ sola dogma illud probant, in Leoniano sacramentario legimus, columna 330 : *Qui secundum promissionis tuæ ineffabile constitutum, apostolicæ confessioni superna dispensatione largiris, ut in veritatis tuæ fundamine solidata nulla mortiferæ falsitatis jura prævaleant.* Et columna 332 : *Tu enim tribuis, Domine, ut prædicationis apostolicæ claritatem nulla juris inferni doctrina subvertat, nulla prævaricatio veritatis offuscet.* Et columna 334 : *Qui Ecclesiam tuam in apostolica soliditate fundatam ab infernarum eruis errore portarum, ut in tua veritate consistens, nulla recipiat consortia perfidorum.* Ergo universaliter credita est Ecclesiæ catholicæ infallibilitas ; ergo verum illud dogma.

Propositio 8ª. *Per liturgiam probari potest simplices presbyteros esse episcopis ordine et dignitate inferiores.*— Noti sunt textus Pontificalis Romani, quod, utpote a quammaxima ecclesiarum catholicarum parte adhibitum, fidem et doctrinam ipsiusmet Ecclesiæ catholicæ exprimit. Sed præterea in sacramentario Gelasiano legimus pagina 22 : *Ut cum Pontifices summos regendis populis præfecisses, ad eorum societates et operis adjumentum sequentis ordinis viros et secundæ dignitatis elegeris... Acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineat.* Ibi autem agitur de

ordinando presbytero. Quæ eadem verba reperiuntur in missali Francorum, p. 346. Unde, dum sanctus Hieronymus de hac re loquens non parvam difficultatem facit, ita ut presbyteriani ipsius auctoritate nitantur ad fulciendum suum errorem de æqualitate presbyterorum cum episcopis, per liturgica testimonia omnis difficultas evanescit, et palam fit Ecclesiæ catholicæ fides et doctrina, quæ erronea esse non potest.

Propositio 9ª. *Per liturgiam convellitur Pelagianismus et semipelagianismus.* — Nam præter hodiernæ liturgiæ Romanæ testimonia, in sacramentario Leoniano legimus, pagina 293 : *Gratiæ tuæ quæsumus, Domine, supplicibus tribue largitatem, ut mandata tua*, TE OPERANTE, *sectantes*, etc... Et columna 360 : *Sicut clementia tua non solum beneficia præstat* IMMERITIS, *sed affectum quoque nobis quo gratias referamus inspirat.* Et columna 362 : *Cujus et propitiationis exordium principaliter inde sentimus, cum tuorum sensibus dignanter infundis totis tibi mentibus supplicare, et indeficientem gratiam comprobamus cum nos vel in hac devotione tribuis permanere, vel de perceptis beneficiis non in nobis sed in tuo nomine gloriari.* Et columna 367 : *Cum omne opus bonum a te inchoari constet*, etc..., *Ecclesiæ tuæ filios sicut erudire non cessas, ita non desinis adjuvare, ut recte facienda cognoscant et possibilitatem capiant exsequendi.* Et columna 370 : *Dum enim sine te nihil recti velle possumus aut agere aut perficere, indubitanter est gratiæ quidquid convenienter operamur.* Et columna 440 : *Majestatem tuam devotis mentibus implorantes, ut sicut ex te habemus esse quod sumus, sic per gratiam tuam et bene velle sumamus et bonum posse quod volumus.* Hæc porro doctrina, quæ universaliter per liturgias expressa fuit in Ecclesia catholica, omnes Pelagianorum et semipelagianorum subtilitates aperte subvertit.

Propositio 10ª. *Per liturgiam probatur de peccato*

originali dogma. — Quam aperte dogma illud exprimat hodierna liturgia Romana, præsertim in ritibus et formulis pro ministrando baptismate præscriptis, omnibus notum est. Sed insuper supra ostendimus quomodo sanctus Augustinus jam suo tempore dogma idem per ejusmodi ritus et formulas in baptismate universaliter adhibitas, rigorose se probare existimaret. Præterea in sacramentario Leoniano, columna 315, sic legitur : *In hac die qua Jesus Christus... dispositionis antiquæ munus explicuit; ut scilicet et diabolum cœlestis operis inimicum, per hominem quem subjugarat eliderет, et humanam reduceret ad superna dona substantiam.*

Item columna 457, præfationes pro festo sanctæ Cæciliæ dogma idem apertissime exprimunt. In libro autem gothico-hispanico a Blanchino edito, pag. 127, præfatum dogma sic expressum occurrit : *Domine Jesu qui beatissimas Virgines Justam et Rufinam de vasis iræ fecisti vasa misericordiæ, dum originalis peccati traduce conligatæ, sacrosanctæ regenerationis meruerunt dealbari baptismo.*

Propositio 11ª. *Per liturgiam probari potest dogma catholicum de Eucharistia.* — Solum officium pro festo Corporis Christi, a sancto Thoma compositum, dogma illud probat. Nam officium illud in liturgia Romana fuit receptum; et liturgia Romana, quæ de facto est simul liturgia quamplurimarum ecclesiarum Sedi apostolicæ unitarum, nequaquam, ut supra ostendimus, in profitenda fidei doctrina errare potest. Sed insuper immensa testimoniorum segete eamdem circa Eucharistiæ sacramentum fidem exprimunt veteres liturgiæ. Quorum documentorum ditissimam collectionem reperies, tum apud Bellarmini controversias, tum apud Muratorium (dissertatio de liturgia Romana, cap. 16, 17, 18), tum apud Assemannum (dissert. ante primam partem libri IV, codicis liturgici), tum in notissimo tractatu de perpetuitate fidei (tom. III, lib. II, cap. 8, editio Migne, pag. 145). Nos pauculas hujusmodi citationes hic subjiciemus.

In missali gothico, pagina 338 : *Precamur mente devota te, majestas æterna, ut operante virtute panem mutatum in carnem, poculum versum in sanguinem, illum sumamus in calice, qui de te fluxit in cruce ex latere.... Corpus tuum pro nobis crucifixum edimus, et sanguinem sanctum tuum pro nobis effusum bibimus.* Et pagina 335 : *Formam sacrificii perennis instituens* (Jesus Christus), *hostiam se tibi primum obtulit, et primus docuit offerri.* Et pagina 251 : *Ut qui tunc aquas in vina mutavit, nunc in sanguinem suum oblationum nostrarum vina convertat.* Et pagina 256 : *Ut translata fruge in corpore, calice in cruore, proficiat meritis.*

In sacramentorio Gregoriano, ad calcem (editio Muratorii, columna 298), collectæ reperiuntur aliquæ formulæ seu precationes, quæ sancto Gregorio magno antiquiores ab eruditis habentur. Inter eas vero sic legitur : *Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis.* Quem textum jam undecimo sæculo contra Berengarii errorem urgebat Guitmundus in suo libro *De corpore et sanguine Domini;* atque eadem verba citantur ab Algerio, qui versus mediam duodecimi sæculi partem scribebat.

In missali Francorum, pagina 365, sic legitur : *Remotis obumbrationibus carnalibus victimarum, spiritalem tibi, summe Pater, hostiam supplici servitute deferimus; quæ miro ineffabilique mysterio et immolatur semper et eadem semper offertur.* Et pagina 347 : *Per obsequium plebis tuæ corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transformet.*

Iisdem terminis in sacramentario Gelasiano dogma transubstantiationis exprimitur. In veteri autem missali Gallicano sic habetur, pagina 388 : *Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus ob diem jejunii cœnæ Dominicæ, in qua Dominus noster Jesus Christus Filius tuus in novo*

testamento sacrificandi ritum instituit, dum panem et vinum (quo Melchisedech in præfiguratione futuri mysterii sacerdos obtulerat) in sacramento sui corporis et sanguinis transformavit. Et in eodem sacramentario, in præfatione *missæ quadragesimalis* (apud Mabillonium, Musæum italicum, tom. I, pag. 303) : *Cujus carne a teipso sanctificata dum pascimur, roboramur, et sanguine dum potamur, abluimur.* Et ibidem, pagina 315, sub hac rubrica, *missa in symboli traditione,* sic habetur : *Adveni ergo, rogamus, et in medio nostri adsiste, et qui nos tunc reparavisti per crucem, per istum immolatum panem et sanguinem iterum lapsos repara.*

In liturgia Cophtica sancti Basilii non minus expresse reperitur præsentiæ realis et transsubstantiationis dogma enuntiatum; quem textum in gallicam linguam translatum, e libro cui titulus *La perpétuité de la foi* describimus : *Nous vous prions et nous demandons de votre bonté, que vous fassiez paraître votre face sur ce pain et sur ce calice, que nous avons mis sur cette table sacerdotale. Bénissez-les, sanctifiez-les, purifiez-les et changez-les; en sorte que ce pain soit fait votre saint corps, et le vin mêlé d'eau qui est dans ce calice soit fait votre sang précieux* (Perpétuité de la foi, t. III, pag. 147, édit. Migne).

Item in liturgia quæ sancti Petri nuncupatur : *Vous avez daigné permettre, Seigneur, que nous touchassions de nos mains de chair celui que plusieurs rois et plusieurs prophètes ont souhaité de voir et qu'ils n'ont pas vu.... Ce feu dévorant que nos doigts ont tenu, ce charbon vivant que nous avons touché avec nos lèvres et qu'un séraphin ne peut soutenir, que le prophète a reçu et par lequel il a été purifié. Purifiez, Seigneur, les bouches, les lèvres et les mains qui ont reçu votre corps; et sanctifiez les corps, les âmes et les esprits qui ont reçu votre sang* (Perpétuité de la foi, loco citato). Hæc eadem verba reperiuntur insuper in liturgia sancti Cyrilli et in sex aliis orientalibus liturgiis.

Universale ergo est, solemne et perpetuum, liturgiarum de præsentia reali et de transsubstantiatione testimonium; certa ergo demonstratur Ecclesiæ catholicæ de his dogmatibus fides; vera ergo hæc dogmata.

Propositio 12ª. *Per liturgiam probari potest dogma de purgatorio.* — In hodierna liturgia romana dogma illud clare exprimunt formulæ in missis defunctorum adhibitæ, ut omnibus notum est. Liturgia autem illa, quæ simul de facto apud quamplurimas ecclesias catholicas viget, in profitenda fidei doctrina erronea esse nequit. Sed insuper idem purgatorii dogma sic expressum reperitur in missali gothico, pagina 250 : *Præsentem itaque oblationem ita inlabere ut medelam viventibus, defunctis refrigerium præstet.* Et pagina 260 : *Ut interventu sancti Clementis antistitis et martyris tui, defunctis absolutionem, viventibus tribuat salutem.* Et pagina 261 : *Deprecemur omnipotentem Deum, ut illic defunctorum animas transferat a tartaro, quo illum*(1) *caussa amoris sui adsumere dignatus est post triumphum.* Et pagina 319 : *Ita defunctorum animæ laxatis inferni pressuris, Abrahæ patris gremio conlocentur.*

Eamdem reperies expressam fidem in sacramentario gallicano, in oratione pro defunctis sabbati sancti (Mabillonius, Musæum italicum, tom. 1, pag. 321).

Græci schismatici nonnisi a quatuor circiter sæculis purgatorium negarunt. Ast hæc eorum negatio nihil commune habet cum protestantium errore. Græci enim schismatici eo sensu tantum purgatorium negant, quod defunctorum animæ quæ statim cœlum non ingrediuntur, *in infernum* expiandæ migrent : atvero illas ibi nostris orationibus et eucharistico præsertim sacrificio juvari admittunt. Unde quoad utilitatem fundendarum pro defunctis precum, omnino cum catholicis sentiunt. Quæ fides in omnium generatim orientalium ecclesiarum, etiam schismaticarum, li-

(1) Nempe sanctum Saturninum.

turgiis exprimitur. E quibus nonnulla tantum testimonia ex libro *Perpetuitatis fidei* transcribemus : in liturgia cophtica, quæ sancti Basilii nomine inscribitur, hæc reperitur formula : « Souvenez-vous, Seigneur, de ceux qui « sont décédés... Daignez, Seigneur, accorder aux âmes de « tous le repos dans le sein de nos saints pères Abraham, « Isaac et Jacob; placez-les dans les lieux verdoyants, sur « les eaux de repos, dans le paradis de volupté, d'où sont « chassés la douleur, les soupirs et la tristesse. » Ibi autem rubrica monet a diacono pronuntianda esse defunctorum nomina. Item in præcipua syriacarum liturgiarum, quæ sancti Jacobi dicitur, submissa voce sic orat sacerdos : « Souvenez-vous, Seigneur, des prêtres orthodoxes qui sont « morts, des diacres, des sousdiacres, des chantres, des lec- « teurs, des exorcistes, des interprètes, des religieux, des « vierges et des séculiers qui sont partis de ce monde dans « la vraie foi, et de tous ceux que chacun a dans sa pensée. » Tum alta voce sic prosequitur : « Seigneur Dieu des esprits « et de toute chair, souvenez-vous de ceux dont nous fai- « sons mémoire, qui sont passés de cette vie à l'autre dans « la profession de la foi orthodoxe : Accordez le repos à « leurs âmes et à leurs corps en les préservant de la con- « damnation future qui n'a pas de fin, et en les rendant « dignes de la félicité qui est dans le sein d'Abraham, d'Isaac « et de Jacob, où brille la lumière de votre face, etc. »

Item in liturgia Æthiopum : « Souvenez-vous, Seigneur, « de tous les défunts qui ont fini leurs jours dans la foi de « J.-C., et placez leurs âmes dans le sein d'Abraham, « d'Isaac et de Jacob. »

Item in liturgia Nestorianorum : « Nous vous prions « aussi, Seigneur, pour ceux qui sont morts dans la foi « orthodoxe, afin que vous leur pardonniez tous leurs pé- « chés, et que vous les mettiez dans des lieux de repos. »

Triginta hujusmodi orientales liturgias citat auctor libri, *la perpétuité de la foi*, in quibus pro defunctis funduntur

preces, in eum finem ut a doloribus liberentur, et ad pacem et quietem recipiantur. Ergo universalis et perpetua est liturgiarum vox in exprimendo purgatorii catholico dogmate. Ergo verum illud dogma.

Propositio 13ª. *Per liturgiam verum demonstrari potest dogma de cultu et invocatione sanctorum.* — Per liturgiam romanam hodie apud quamplurimas ecclesias catholicas vigentem clare hoc dogma exprimi norunt omnes. Ex quo solo testimonio, ut toties diximus, satis constaret illius dogmatis veritas. Sed insuper in sacramentario Leoniano, columna 293, sic legimus : « Tibi enim festiva solemnitas « agitur, tibi dies sacrata celebratur, quam beati sancti « Tiburtii martyris tui sanguis, etc... Tuas enim, Domine, « virtutes, tuasque victorias admiramur, quoties in Ecclesia « tua horum dierum festa celebrantur. » Et columna 396 : « Quidquid enim sanctorum tuorum meritis adhibemus, ad « tuam laudem recurrit et gloriam. » Et columna 293 : « Præsta nobis, Domine, misericordiam tuam, sanctorum « tuorum suffragiis imploratam, et quos intercessores nos« tros esse tribuisti, fac eos et majestatem tuam jugiter « exorare, et salutaria impetrare pro nobis. » Et columna 296 : « Impetret quæsumus, Domine, fidelibus tuis auxi« lium oratio sanctorum. »

Item in sacramentario Gelasiano, pagina 7 : « Sicut divina « laudamus in sancti Stephani passione magnalia, ita sit « fragilitatis nostræ promptus adjutor. »

Item in missali gothico, pagina 242 : Ut per triumphos « tuorum testium et solemnitatum gloriam et devotionum « exempla susciperes. » Et pagina 237 : « Oremus ergo ut « pro nobis interveniat precibus (sancta Agnes), quæ digna « adstitit divinis obtutibus. »

Item in missali Francorum, pagina 359 : « Unde bene« dicimus te, Domine, in operibus tuis, teque in sanctorum « tuorum profectione laudamus. » Et pagina 358 : « Sup« plicationibus nostris misericordiam tuam confidimus ad-

« futuram, quam beati Gelasii confessoris tui poscimus « interventu nobis et confessione præstari. »

Item in libro gothico-hispanico quem edidit Blanchinus, pagina 39 : « Adsistat ergo nunc, omnipotens Pater, tantus « martyr, et faveat credentium votis, ut ea quæ sibi propter « te impendi cognoscit, famulantibus tibi ex te uberius « recompenset. »

Propositio 14ª. — *Concludi generatim potest liturgiam esse inter theologicos locos, et quidem ditissimos numerandam.*—Nobis in proposito non fuit totam percurrere dogmatum catholicorum seriem, et omnia congerere liturgiæ testimonia quæ in probationem uniuscujusque adduci possunt. Cœptum hujusmodi, præterquam quod vires nostras superat, præfixum præsentis tractatus scopum nimium præteriret. Cursim tantum et rapidissimo quodam specimine voluimus theologiæ professoribus indigitare, quot et quantos probationum thesauros sub monumentis liturgicis reconditos habeant. Fontem indicamus : aquas ex eo hauriendas cæteris relinquimus. Pauca autem quæ attulimus exempla abunde probare videntur, liturgiam non tantum locum theologicum merito nuncupari, sed et ditissima exhibere probationum instrumenta. Imo dum cæteros aliquoties locos theologicos frustra quis adibit, aridosque multis in quæstionibus reperiet, mirabitur quam refertissimum de eadem re promptuarium liturgia ipsi exhibeat. Doctrinam, verbi gratia, de corporali in cœlum Deiparæ assumptione si probandam aggredieris, nil ex sacra Scriptura poteris concludere; neque palam fiet res ex Patribus, aut Ecclesiæ definitionibus, aut conciliorum œcumenicorum decretis; vix etiam unanimem ostendere poteris doctorum scholæ consensum. At liturgias aperi et non tantum in hodierna liturgia romana, sed et in veteri sacramentario gallicano (missa *in Assumptione Sanctæ Mariæ* Mabillonii Musæum ital., t. I, p. 300), certo certius expressam reperies universalem fidelium persuasionem; ita ut jam tibi liceat eum invicte

confutare, qui assumptam in carne Beatissimam Virginem negaverit.

Ex iis porro quæ de re liturgica, quatenus dogma exprimente et probante toto hoc septimo capite paulo fusius disseruimus, concludere licet liturgiam vere esse dogmaticam, idque tanquam intrinsecam et indivulsam proprietatem ipsi inhærere; contrariam proinde opinionem, quæ nostris temporibus in Gallia prodiit, pro sua falsitate et novitate prorsus esse rejiciendam.



PARS SECUNDA.

DE FONTE JURIS LITURGICI, SEU AD QUEM PERTINEAT JURIS DE LITURGIA DICUNDI POTESTAS.

Diximus in prima hujus tractatus parte *quid sit* liturgia. Expendimus scilicet ipsius naturam et præcipuas quasdam proprietates intrinsecas; eique præsertim vim dogmaticam vindicavimus. Occurrit nunc gravissima quæstio *a quo sit* liturgia, id est, ad quem pertineat suprema liturgiæ regulandæ et præscribendæ potestas. Ea vero de re non pauci prodierunt errores, tum ex protestantium heterodoxis principiis, tum ex falsis quibusdam aliis systematibus oborti. Eos ut confutemus, et simul rectam de juris liturgici fonte doctrinam stabiliamus, totam materiam distribuemus in sectionem duplicem : in priori nempe exponentur erronea systemata : in posteriori determinabitur ad quem pertineat suprema juris de liturgia dicundi potestas.

SECTIO I.

EXPONUNTUR SYSTEMATA ERRONEA.

In eo concordant errores ut Romano Pontifici denegent supremum jus leges de liturgia ferendi. At prout in unoquoque systemate intelliguntur potestatis ecclesiasticæ et civilis mutua relatio et limites, vario modo et variis personis jus illud circa liturgiam tribuitur. Exponenda ergo sunt varia systemata, non tantum quoad quæstionem specialem de jure in liturgiam, sed etiam quoad generaliorem quæstionem de utriusque potestatis, ecclesiasticæ scilicet et civilis, circa religionem et cultum externum juribus. Quod in sequenti capitum serie præstare conabimur.

CAPUT I.

SYSTEMATA PROTESTANTIUM QUOAD QUÆSTIONEM GENERALEM DE POTESTATE ECCLESIASTICA ET CIVILI.

Triplex hac de re invaluit apud protestantes systema : episcopale nempe, territoriale et collegiale. Quæ tria systemata consentiunt quidem in tribuendo principi sæculari spiritualem simul et temporalem potestatem ; at diversa ex ratione, et cum diversis inde deductis consectariis.

Systema *episcopale*, quod in Germania tantum patronos habuit, totum nititur actu quodam legislativo imperatoris. Anno scilicet 1555, in Augustanis comitiis, ab imperatore Germaniæ latum est decretum, quo sic statuebatur paragrapho vigesimo :

« Afin aussi que les deux partis religieux sus-énoncés « (les catholiques et les partisans de la confession d'Augs- « bourg) soient et demeurent l'un près de l'autre dans une « paix durable et en bonne sécurité, il est décidé que jus-

« qu'à l'entier aplanissement des difficultés religieuses, la « juridiction ecclésiastique cessera d'être invoquée et exer- « cée, tant pour le passé que pour l'avenir, contre les adhé- « rents de la confession d'Augsbourg en tout ce qui touche « la religion, la foi, la nomination des ministres, les rites, « réglements et cérémonies. » (Vide apud Walter, cujus opus in linguam gallicam fuit translatum.) Porro ex illo textu legislativo sic ratiocinantur *episcopalis* systematis patroni : Per illud decretum suspensa fuit catholicorum Episcoporum jurisdictio in eos omnes qui confessioni Augustanæ adhærebant; atqui suspendi non potuit hæc jurisdictio, quin pro toto tempore suspensionis tribueretur principibus temporalibus; ergo per illud decretum principes temporales provisorie jurisdictionem episcopalem adepti sunt. Jam vero nedum cessaverit hæc temporalium principum jurisdictio, ex provisoria facta est stabilis et definitiva; ergo temporales principes temporalem et *episcopalem* simul jurisdictionem habent. Cujus nimis absurdæ argumentationis cum non paucos Germaniæ protestantes puderet, ad aliam confugerunt, sic ratiocinium instituentes : Originarie utraque potestas ad temporalem principem pertinet; ergo decretum suspensivum anni 1555 id tantum effecit, ut sæcularis potestas quod suum erat tandem recuperaret. Ast illa secunda explicatio recidit in systema territoriale, a quo non differt saltem quoad substantiam.

Territoriale autem dictum est systema, quo principi temporali tribuuntur jura omnia potestatis ecclesiasticæ, ita scilicet ut in toto suo territorio temporalis princeps, quatenus talis, possideat etiam spiritualem auctoritatem. Quam theoriam ab Hugone Grotio primum excogitatam, multi postea auctores protestantes defenderunt, inter quos Thomas Hobbus, Benedictus Spinosa, Christianus Thomasius, J. H. Bœhmerus, et copiosissimus publicista J. J. Moserus.

Collegiale systema principio omnino diverso nititur. Vult nempe Ecclesiam nil aliud esse quam quædam membrorum

6

æqualium collectio seu collegium. Quæ fidelium communitas (ut aiunt hujus systematis patroni), primitus seipsam independenter a societate civili regebat; regimine scilicet democratico, cum omnia membra æquali jure gauderent. Postea vero fidelium collegium seu ecclesia, juribus suis spoliatum fuit a potestatibus hierarchicis, in ipsius sinu abusive efformatis. Ast exorta tandem protestantica reformatione, ablata sibi jura seu potestatem spiritualem fidelium communitas recuperavit. Cum vero intelligeret omnia fore confusione plena, si vellet hanc potestatem ipsa exercere, eam contulit principibus temporalibus. Unde juxta systema collegiale, princeps sæcularis possidet quidem spiritualem potestatem; at non jure proprio, sicut in systemate territoriali, sed tantum ex concessione sibi facta a fidelium collegio, seu ab Ecclesia. Inter hujus systematis defensores eminent Chr. M. Pfaff et Mosheim.

Ex sola horum systematum expositione satis patet, in quem scopum excogitata fuerint. Postquam nempe legitimam et a Christo institutam Episcoporum et Summi Pontificis auctoritatem rebellans protestantismus excussit, ne statim ab anarchia voraretur, coactus est ad principes temporales confugere; et optimam fortunam reputavit quod voluerit sæcularis princeps ecclesiasticam potestatem usurpare, et in suo quisque dominio episcopum et papam agere. Hæc vero, non tantum iniqua et probrosa, sed etiam ridicula et in æternum sibilanda spiritualis auctoritatis a temporali absorptio, cum perpetuo protestantibus objiceretur, ut aliqua saltem rationis larva illud nimium patens defectionis suæ signum obtegerent, prædicta systemata excogitarunt.

CAPUT II.

PROTESTANTIUM SYSTEMATA DE POTESTATE LEGISLATIVA CIRCA LITURGIAM.

Distinguunt auctores protestantes jura *majestatica*, quæ principi competunt ob propriam principis dignitatem, a juribus *collegialibus*, quæ ipsi conceduntur a collegio seu a communitate, et quibus careret spectata sola dignitate principis. Item distinguunt *jus liturgicum a jure in sacra*; ita ut quidam auctores, dum principi tribuunt jus in sacra, ipsi tamen denegent jus liturgicum. Quo prænotato, sic possunt resumi varia protestantium systemata de potestate legislativa circa liturgiam.

I. Bœhmerus principi temporali tribuit plenam juris de liturgia dicundi potestatem; atque hanc prærogativam reponit inter jura majestatica : eam scilicet princeps tenet ex propria sua dignitate, non autem ex concessione communitatis. Hinc potestatem illam exercere potest absque ullo communitatis seu ecclesiæ consensu; imo nec postulato ab ea consilio. Quæ quidem doctrina rigorose sequitur ex supra exposito systemate territoriali : si enim temporalis princeps in suo dominio possideat (tanquam dignitati suæ propriam) supremam potestatem ecclesiasticam, possidet etiam supremum jus in liturgiam.

II. Christianus Thomasius, vir inter protestanticos scriptores conspicuus, existimat quidem cum Bœhmero inter jura majestatica reponendum esse jus liturgicum; at dissentit quoad juris illius exercitium. Negat quippe posse jus liturgicum a principe exerceri, nulla habita ratione voluntatis et sensus Ecclesiæ seu collegii fidelium. « Sed exercitium (inquit) hujus curæ ac potestatis soli magistratui « competere inficias imus; non ad gustum quorumdam « principum, qui membra Ecclesiæ reliqua ab hac plane

« exclusa volunt, reformationem pariter cultus divini et « cæremoniarum sibi solis arrogantes, vigore nimirum ju- « rium episcopalium et territorialium, a quibus subditi et « status provinciales merito arcentur » (Decis. 113, n. 8; apud Zaccaria, Bibl. rit., t. I, dissert. 1, p. 2).

III. Mosheimii systema a duobus præcedentibus longe differt. Contendit nempe *jus liturgicum* esse annumerandum juribus collegialibus, non majestaticis. Unde princeps temporalis habet quidem jus illud, sed ex concessione communitatis fidelium seu Ecclesiæ. Hinc, jus illud exercere nequit nisi dependenter a fidelium consensu. At simul concedit *jus circa liturgiam* esse majestaticum, ita ut princeps illud absque cujuscumque consensu exercere possit. Hanc vero subtilem inter *jus liturgicum* et *jus in liturgiam* distinctionem, sic explicat : Decernere et determinare cultum, est exercere *jus liturgicum ;* id vero ad Ecclesiam, id est, ad collectionem fidelium, spectat; non vero ad principem, nisi ex consensu et concessione Ecclesiæ. Atvero invigilare, præcavere et impedire ne cultus noceat tranquillitati publicæ, est exercere *jus in liturgiam ;* id vero ad principem tanquam quid juris majestatici pertinet. Objicientibus autem hujus distinctionis subtilitatem sic respondet : « At, inquis, « cui bono hæc tam sollicite conquiruntur ? Respondeo : Si « nulla alia esset ratio, hæc unica sufficeret, quod princeps « absolutus in juribus majestatis stricte sic dictis exercendis, « omnia jure agat ex suo arbitrio, nequidquam sollicitus de « subditorum opinionibus, modo divinis legibus ea haud « contraria judicet : quod si vero jura exerceat non maje- « statica, tantum est ut jure agat si suum unice sequatur « arbitrium, ut statim imperium in sacram tyrannidem « degeneret, nisi ratio habeatur subditorum persuasionum. » Quam theoriam Mosheimius conatur hoc exemplo suadere : Princeps in familias et in privatam uniuscujusque agendi rationem jus habet eo sensu, quod possit vigilare et præcavere ne privata uniuscujusque familiæ agendi ratio nocu-

mentum reipublicæ afferat. Inde vero nullus concludet posse a principe decerni de privatis familiarum negotiis; verbi gratia, quot quisque servos habere, quibus cibis uti, et quibus laboribus unaquaque diei hora vacare debeat. Confutatur autem a Mosheimio Bœhmeri systema variis rationibus quas sic summavit Zallwein : « In eo totus quantus « est Mosheimius ut demonstret quod doctrina Bœhmeri jura « omnia confundat, Ecclesiæ sua jura originaliter ex jure « naturæ saltem hypothetico competentia subvertat, ipsos « fideles in turpissimam servitutem redigat, despotismum « inducat, et christianos dominis territorialibus despotice « subjectos faciat. Quum enim ex doctrina Bœhmeriana « Ecclesia sit collegium hominum in ordine ad cultum di- « vinum rite et decenter peragendum congregatorum, et in « eadem doctrina participantium, sane hæc societas sacra « ad instar aliorum collegiorum habet sua jura, habet suas « libertates, tum ex jure naturæ, tum ex primæva institu- « tione, aut pactis libere initis sibi proprias, in quarum exer- « citio haud secus quam subditi in particulari, si suis liber- « tatibus et juribus innocue, sine præjudicio, sine nocumento « reipublicæ utantur, impediri non potest, nisi omnia jura « subvertere, fidem pactorum exterminare, despotismum « inducere, ferream servitutem hominibus imponere, et « quidquid in omni societate sacrum et sanctum est tollere « velimus. Nam ad naturam collegiorum si respiciamus, hæ « sunt certæ societates, in quibus socii certum sibi finem « præfigunt, et ad hunc finem facilius consequendum sub « certis conditionibus et pactis se reipublicæ submittunt, « illiusque adsistentiam, tutelam et defensionem sibi stipu- « lantur; ea tamen lege ut ipsi determinare et seligere pos- « sint media ad suum finem opportuniora, quin princeps « ipsis invitis alia obtrudere valeat, nisi salus reipublicæ « exigat, et inde nocumentum in rempublicam redundet. « Porro autem quum finis societatis sacræ sit cultus divinus « et salus Ecclesiæ, necessario consequitur quod ad Eccle-

« siam ipsam jus liturgicum, seu jus determinandi ritus « liturgicos tanquam jus collegiale pertineat, eo quod hi « præcipuam partem cultus externi cum interno connexi « constituant. Quam parum princeps aliquid potest in con- « scientias hominum in materia religionis, tam parum aliquid « potest in rebus liturgicis. Et numquid ipse Boehmerus jus « liturgicum primordialiter non asserit esse penes Ecclesiam? « Idcirco in omnia jura naturalia et divina impingit prin- « ceps, et vel despotismum vel tyrannidem exercet, si « christianis sua media ad colendum Deum ordinata sine « evidente reipublicæ necessitate subtrahat, commutet, jus « liturgicum sibi privative vindicet et pro libitu leges novas « condat, media alia sine ullo consensu præscribat et sub- « stituat. Quid ergo est, quærit Mosheimius, illa majestas, « illud jus majestaticum? Anne jus quoddam homines redi- « gendi in servitutem et inducendi despotismum? Edicat « aliquis undenam principi jus prohibendi ne, dum peragun- « tur divina, duo accendantur luminaria, aut interdicendi « alia adiaphora ad statum politicum nihil facientia? » (Zall- wein, Principia juris eccl. t. II, pag. 109.)

IV. Systema Pfaffii non videtur quoad substantiam a Mosheimii opinatione differre. Negat enim Pfaffius principi competere jus absolutum in rem liturgicam, ea valde notanda ratione ductus, quod, si princeps temporalis posset liturgiam pro arbitrio suo subditis imponere, posset hoc ipso ipsis quam vellet religionem et fidem injungere; ex quo aperte sequeretur principem temporalem esse papam. En ipsamet Pfaffii verba : « Jam vero si hoc esset (nempe si « principi competeret supremum jus liturgicum), princeps « qua talis posset subditis suis religionem imponere et in- « jungere quamcumque vellet; id quod, ut quivis videt, « manifestam in conscientias tyrannidem, manifestam cæsaro- « papiam involveret. Caute itaque procedendum, dicendum- « que est esse hoc jus collegiale... Cum imperantes inspe- « ctionem in omnes ecclesias habeant, et præcavere debeant

« ne imperium sacrum in his collegiis exstruatur, suo jure « agunt, si jus determinandi res liturgicas sibi vindicant, « quando ex circumstantiis adparet ecclesias sua libertate « abuti. Ex quibus verbis id concluseris, tum demum ma« gistratui licere jura liturgica ut exerceat, si ecclesiæ illa « male administrent.... Patet tamen ex ipsa negotii hujus « indole principem jus liturgicum non ex mero arbitrio suo « administrare debere; id enim tyrannidem ecclesiasticam « involveret; sed ita ut religio, quam in ecclesia, in qua « liturgia determinatur, profitetur, exigit et postulat. Re« strictum itaque est jus liturgicum cum eo ipso quod colle« giale est, licet ex superioritate territoriali simul fluat » (Pfaff. Jus eccles., cap. 7 de liturgiis, confessionibus, precibus, etc.).

V. Ex variis illis protestantium de jure liturgico systematibus, facile quisque intelligere potest in quæ inextricabilia absurditatum vincula sese illi hæretici projecerint, quando supremam Romani Pontificis in universas ecclesias aucteritatem rejecerunt. Nam necessariam omnino esse summam aliquam potestatem in regulanda et decernenda re liturgica, nec posse hujusmodi regulationem multitudini permitti quin statim inducatur anarchiæ confusio et omnium deliramentorum scandalum, libenter et ipsi protestantes, experientia pariter et evidentia coacti, fatentur. At cum noluerint hoc supremum jus liturgicum ad Papam pertinere, coacti sunt illud principi temporali tribuere, id est, falsum papam sibi pro vero constituere; nec eos erubuit etiam in mulierculis papas suos agnoscere. Unde papistæ sunt et protestantes quammaxime, at simul quam probrosissime. Bœhmeri autem systema cæteris præstat sinceritate et logica : ipse enim clare summum jus liturgicum temporali principi tribuit, id est (ut concludit Pfaffius), aperte principem temporalem erigit in papam, eique tribuit potestatem de fide et religione decernendi, dum ei concedit plenam liturgiæ pro arbitrio statuendæ facultatem. Absur-

dissimum quidem principium : ast eo semel admisso, logice saltem expediuntur difficultates, et vitatur in praxi anarchia et confusio; si quidem pro regula circa liturgiam remanet, eam debere a fidelium collegiis recipi liturgiam et religionem quæ principi temporali placuerit. Mosheimius e contra cum Pfaffio, dum Bœhmeri principium rejiciunt, e difficultatibus sese extricare non possunt, quantumvis ingenium suum misere torqueant. Nam esto, sicut volunt, principem tunc tantum posse de liturgia decernere, quando Ecclesiæ jure suo liturgico abutuntur : at quisnam judicabit utrum adfuerit necne abusus? Id ad solum principem pertinere contendunt. Hoc vero posito, jam princeps poterit, quidquid voluerit et quantum voluerit, de liturgia decernere : debebit tantummodo hanc formulam præmittere : *judicavi adfuisse abusum.* Et sic jus liturgicum communitatis evadit illusorium, et in principe aliis terminis firmatur supremum illud jus liturgicum a Bœhmero affirmatum. Unde Mosheimius et Pfaffius minime vitant illam cæsaro-papiam quam Bœhmero tam acerbe exprobrant. Nec dicatur non posse a principe abusum declarari, juxta systema Mosheimii, nisi quando attingitur reipublicæ tranquillitas; multa autem esse in liturgia quoad publicam tranquillatem indifferentia seu adiaphora. Id enim falsum est; et si bene res perpendatur, videbitur nullam esse liturgicam praxim, quam princeps non possit fingere tranquillitati publicæ connexam. Sumamus ipsummet Mosheimii exemplum, praxim nempe duo luminaria potius quam tria aut nulla accendendi. Poterunt ex collegio fidelium nonnulli mutatam velle praxim illam; poterit proinde enasci de illa praxi aliqua altercatio; et licet facta generali omnium deliberatione, major pars communitatis votum pro duobus luminaribus emittat; accidere potest ut renitentes malint sese a collegio separare et novam ecclesiam cum nova praxi liturgica constituere. Porro hujusmodi altercationes et scissiones tranquillitatem reipublicæ tangunt; poterit ergo princeps, ad tollendam

hujusmodi perturbationum occasionem, edicere ut exstinguantur et supprimantur luminaria, vel etiam ut tot accendantur, et non plura vel pauciora. Unde apud protestantes, vel minima res liturgica potestati necessario et ultimatim subjecta esse debet. Puduit quidem Mosheimium et Pfaffium hujus consectarii : at ipsorum systema illud minime devitat.

VI. Cæteroquin præfata systemata pugnant cum protestantismo primitivo, qui Papæ quidem auctoritatem excusserat, sed nondum senserat necessitatem principes temporales sibi pro papis constituendi. *Non condant magistratus dogmata*, ait Melanchthonius, *nec constituant cultus* (in examine ordinandorum). *Sint sane magistratus membra Ecclesiæ, flagrent quoque zelo pietatis; sed non sint capita Ecclesiæ, quia ipsis non competit iste primatus* (centuriatores Magdeb. apud Duval, du Pouvoir du Pape dans l'Eglise, pag. 357, Paris 1614). *Hæc constitutio disciplinæ ecclesiasticæ per principes, nihil aliud esset quam versionem facere, et arbitrariam religionis constituendæ potestatem, Pontificum magisterio ereptam, magistratibus adsignare* (Muscolo, loc. comm. cap. de magist. sect. ultima). Unde primi protestantes tanquam monstruosam subversionem habuerunt, principibus temporalibus tribui potestatem de disciplina et liturgia decernendi. At subversio illa apud protestantes serius ocius evenire debebat; atque eam revera quantumvis probrosam sectæ protestanticæ, ne penitus anarchia et confusione dissolverentur, subire coactæ sunt.

CAPUT III.

SYSTEMA REGALISMI SEU GALLICANISMI PARLAMENTARII QUOAD QUÆSTIONEM GENERALEM DE ECCLESIASTICA ET CIVILI POTESTATE.

Ut melius perspiciatur propria gallicanismi parlamentarii doctrina, duplicem instituemus paragraphum : primum

scilicet in quo quasdam auctorum hujus erroris sequacium sententias colligemus : alterum in quo gallicanismi parlamentarii placita ad quædam distincta capita reducemus.

§ I.

Colliguntur quædam sententiæ patronorum gallicanismi parlamentarii.

Jurisconsultus Simon Vigor in suo pseudonymo libello, mendaciis et injuriis in sedem Apostolicam refertissimo, duplicem distinguit disciplinam; *privatam* alteram, comprehendentem ea quæ ad forum internum conscientiæ pertinent; alteram vero *publicam*, ad quam referuntur leges de convocandis et celebrandis conciliis, de examinandis et definiendis clericorum causis, et generatim quæcumque ad Ecclesiæ gubernationem spectant. Et *privatam* quidem disciplinam fatetur ad Ecclesiam pertinere; at contendit *publicam* ad principem et magistratus spectare. Atque illam regulam ita pro certa habet, ut audacter ita affirmet : *Qui hoc ignorat, omnia ignorare fateatur necesse est.* Cujus obcæcatissimi viri pestiferum librum confutavit Andreas Duval.

Absimilis non est doctrina quam tenuit Neapolitanus Giannone, in infausto suo opere cui titulus, *Storia civile di Napoli* (tom. I, lib. II, cap. ultim.). Hunc confutavit doctissimus Pater Bianchi, ingente et nunquam satis commendando opere, quod inscripsit, *Della podestà e della polizia della Chiesa.*

Anno 1730, tres e diœcesi Aurelianensi sacerdotes, Samson rector parochiæ Olivet, Covet item rector parochiæ Darvoi, et Gaucher canonicus Targensis (de Targeau), libellum ediderunt adversus Aurelianensem Episcopum aliosque prælatos. Continebat autem libellus appellationem quamdam ab abusu, et consultationem 40 advocatorum. Qui advocati inter cætera declarant, *disciplinam ecclesiasticam*

esse partem integrantem politiæ generalis cujusque nationis christianæ (1); ex quo principio concludunt disciplinam ecclesiasticam debere regiæ auctoritati subjici. Hanc consultationem in suis litteris pastoralibus confutarunt Ebredunensis Archiepiscopus Guerin de Tencin, et Carolus d'Orleans archipræsul Cameracensis.

Antonius Genovesi, in suo libro *De jure et officiis* (cap. 8, § 38, pag. 221, edit. Neapolitana 1765), errorem regalismi tuetur his verbis : *In externis actionibus, quo divina jura propagantur et in republica administrantur, sacerdotium imperio civili subjectum est.*

Articulus X Libertatum gallicanarum, totum regalismi errorem recondebat implicite sub his terminis : « Les « rois très-chrétiens ont de tout tems, selon les occurren- « ces et nécessités de leur pays, assemblé ou fait assembler « synodes ou conciles provinciaux et nationaux, esquels, « entr'autres choses importantes à la conservation de leur « estat, se sont aussi traitées les affaires concernant l'ordre « et la discipline ecclésiastique de leur pays, dont ils ont fait « faire reigles, chapitres, loix, ordonnances et pragmatiques « sanctions, sous leur nom et autorité. Et s'en lisent encor « aujourd'hui plusieurs ès recueils des décrets receus par « l'Église universelle, et aucunes approuvées par conciles « généraux. » Quem textum explicans Dupin natu major, qui nunc cameræ legislativæ præsidem agit, in hæc verba, *lois et ordonnances*, sic adnotat : « Témoin tous les rè- « glements en matière ecclésiastique, qui abondent dans « notre législation ancienne et moderne. » Verba autem, *sous leur nom et autorité* idem auctor commentatus est hoc modo : « On peut citer pour exemple l'*ordon-* « *nance de Blois*. Plusieurs articles de cette ordonnance « concernant la discipline sont conformes aux décrets du

(1) La discipline ecclésiastique forme une partie intégrante de la police générale de chaque nation chrétienne.

« concile de Trente. Cependant on ne peut pas dire qu'ils « tirent leur autorité de ce concile, *mais du roi*, qui de « l'avis des États de son royaume en a fait une ordonnance. « Et de fait Henri IV, par son édit de 1606, confirmant « l'article 40 de l'ordonnance de Blois touchant les maria« ges, et enjoignant aux juges d'église de le garder, ne dit « pas qu'il seront tenus de *garder les décrets du concile de « Trente* dont cette ordonnance est tirée, mais seulement « l'ordonnance; *à la charge*, porte l'édit, *qu'ils seront tenus « de garder les ordonnances, même celle de Blois, en « l'art.* 40. » Postea idem Dupin totum pestiferæ suæ doctrinæ virus prodit, hæc addens : « Nous présenterons ici, « comme un excellent résumé des principes sur cette ma« tière, ce qu'a dit de la pragmatique de Charles VII, M. Du« bois, dans son *Recueil des Maximes,* et après lui Durand « de Maillane, t. II, p. 29 : *La pragmatique est composée « de trois parties. La première, qui est la préface, nous ap« prend :* 1° *que le concile de Bâle, ayant député des am« bassadeurs vers le roi Charles VII, pour le supplier de « recevoir quelques-uns de ses décrets, reconnut que la « réception d'un concile, dans toutes les matières de po« lice, dépend absolument de nos rois; et cette reconnais« sance justifie le refus que l'on fait d'avoir égard aux « bulles du Pape qui ne sont point accompagnées de let« tres patentes;* 2° *que le roi, dans son conseil composé « de tous les ordres de son État, peut faire des règlements « touchant la discipline ecclésiastique*.... (1). »

At cæteris regalismi zelo non cedit Durand de Maillane : « Nos rois, inquit, sont protecteurs de la discipline ex« térieure de l'Église en ce royaume; ils ont droit de faire « des lois et des ordonnances sur cette matière. Voyez l'ar« ticle 10 des Libertés, sur lequel M. Dupuy dit que les lois

(1) Manuel de droit ecclésiastique, par M. Dupin, page 15; qui liber, a cardinali de Bonald primo condemnatus, a sacra dein congregatione Indicis confixus est.

« qui ont été faites par les rois de France sont d'autant « meilleures qu'elles sont conformes aux usages et aux « mœurs de la nation, et que, d'ailleurs, elles sont soute- « nues de l'autorité la plus sûre pour les faire exécuter.

« Quand il arrive que ces lois sont tirées des monuments « ecclésiastiques, comme des conciles, des constitutions du « Pape, etc., elles n'en reçoivent aucune force pour leur « exécution; elles portent, dit le même Dupuy, sur le front, « la marque de l'autorité royale, sont réputées pour lois du « royaume, et observées par le seul respect de la majesté du « prince qui leur a donné cours dans ses États. Ainsi, « ajoute-t-il, les lois des XII Tables que les Romains em- « pruntèrent des Grecs par raison, non par autorité, ne « furent plus réputées pour lois étrangères, mais pour lois « romaines... Et, sans sortir de la France, bien que quel- « ques articles de l'ordonnance de Blois concernant la dis- « cipline de l'Église soient conformes en beaucoup de cir- « constances aux décrets du concile de Trente, on ne peut « dire néanmoins qu'ils tirent leur autorite du concile, mais « du roi qui les a faits, qui leur a donné cours dans son « État, et en a fait une ordonnance.

« L'article 34 de l'édit du mois d'avril 1695, donne la « connaissance des causes concernant la discipline ecclésias- « tique et autres *purement spirituelles* aux juges d'église; « d'où il suit que s'il entre du temporel dans ces causes, « n'étant plus purement spirituelles, la connaissance en ap- « partient au juge séculier. » (Dictionn. de Durand de Maillane, au mot *Discipline*.) Ille Durand de Maillane, idem est qui *Constitutionem civilem cleri* conscripsit. Et nihilominus aliquis hodiernus Archiepiscopus, a quo nominando parcam, in statutis suis diœcesanis, prædictum dictionarium inter libros quos clero suo circa rem canonicam legendos suadet, primo loco reponit. Atque alter Galliæ Episcopus in statutis pariter diœcesanis legendas suadet *institutiones canonicas* Fleuryi, opus ab Indice confixum.

Quæ agendi ratio ego non video quomodo scandalosa non sit, et in sedem Apostolicam summe injuriosa.

§ II.

Ad quædam præcipua capita reducitur gallicanismi parlamentarii doctrina circa ecclesiasticam et civilem potestatem.

I. De principio generali, *auctoritatem spiritualem ad imperium civile non pertinere*, non directe contendunt regalistæ; imo huic principio libenter subscribunt, modo ipsis liceat illud sub quibusdam explicationibus intelligere : explicationes autem illæ, ut ex subjiciendis patebit, potestatem spiritualem, quantumvis Episcopis et Romano Pontifici theorice concessam, in praxi tamen ad principes temporales transferunt.

II. Contendunt scilicet principis auctoritatem esse prorsus completam et independentem quoad ea omnia quæ aliquo modo spectant ad societatis civilis gubernationem. Quod principium, in primo quatuor articulorum anni 1682, firmarunt comitia gallicani cleri. Ex illo autem principio sic concludunt :

Principi competit jus cognoscendi de omnibus omnino negotiis quæ societatem civilem aliquo modo tangunt, et de hujusmodi negotiis ultimatim decernendi. Nam si fas ipsi non esset negotia, temporalem societatem sub aliquo respectu attingentia, definitivo judicio dirimere, gubernium ipsius temporale esset aliqua ex parte superiori tribunali subjectum : cogeretur nempe princeps aliquam partem temporalis gubernationis ordinare juxta placitum superioris auctoritatis, cui hac in re subderetur; ergo non esset vere et integre independens quoad suam temporalem gubernationem; ergo falsum esset supradictum principium de plena et rigorosa principis quoad rem civilem independentia; et falsus item primus e quatuor articulis anni 1682. Quod cum

nefas sit dicere, ut existimant, principi tribuenda est potestas de rebus omnibus, quæ societatem civilem aliquo modo tangunt, cognoscendi et definitive decernendi.

III. Jam vero tota generatim disciplina ecclesiastica, sive directe sive indirecte, societatem civilem aliquo modo attingit; ergo princeps in quæstiones de disciplina ecclesiastica intervenire debet, nec possunt alio quam ipsius judicio definitive solvi. Imo et multa dogmata interesse temporale pariter tangunt; ergo non poterunt hæc dogmata doceri aut definiri nisi annuente et auctoritate sua definitive statuente temporali principe; ne alioquin illæsa non permaneat ipsius circa rem temporalem independentia.

Ab his quidem consectariis ex parte refugit gallicanismus moderatus; at regalistæ contendunt ea rigorose et logice a primo quatuor articulorum anni 1682 deduci.

IV. Ex alio præterea principio eamdem conclusionem extrahunt : *principem scilicet esse in Gallia sacrorum canonum protectorem*. Quod ita intelligendum volunt, ut principis sit Gallias protegere contra decreta pontificia disciplinam ecclesiasticam hac in regione receptam immutantia. Nam ut princeps possit hac sua prærogativa uti, necesse est ut omnes sedis Apostolicæ bullæ, omnia rescripta, ipsi subjiciantur, nec possint vim habere nisi prius ab ipso examinata atque probata, et *placito* suo firmata. Necesse insuper in judiciis ecclesiasticis, ut partes quæ sese læsas existimant possint ad principem tanquam ab abusu appellare, et princeps possit quamlibet sententiam ecclesiasticam solvere, quando judicavit judicem ecclesiasticum potestate sua abusum fuisse.

V. Et tandem, aiunt regalistæ, certum est principi competere *jus cavendi*; sese nempe præmuniendi contra excessus potestatis ecclesiasticæ. Nam, inquiunt, accidere potest (et revera, aiunt, multoties accidit), ut Roman Pontifices vel etiam Episcopi spirituali sua potestate abutantur. Princeps autem, *jus cavendi* exercere non posset,

nisi ipsi fas esset de negotiis ecclesiasticis cognoscere, et an abusa sit necne ecclesiastica auctoritas, definitive pronuntiare. Unde regalismus expressis quidem terminis supremam potestatem spiritualem imperio civili non tribuit, sicut protestanticum systema *territoriale;* ast in re, ab illo systemate non differt; nec minus fortiter probrosam illam erigit cæsaro-papiam, quam tam acriter Bœhmero exprobrarunt protestantes Mosheimius et Pfaffius.

CAPUT IV.

SYSTEMA GALLICANISMI MODERATI CIRCA QUÆSTIONEM GENERALEM DE ECCLESIASTICA ET CIVILI POTESTATE.

I. Gallicani moderati contendunt duas potestates esse non tantum distinctas, sed et perfecte ac rigorose mutuo independentes. Quod satis patebit, citato eorum antesignano Bossuetio : « Regia ac suprema potestas (inquit), « ita est a Deo instituta, ut sit a Deo secunda, hoc est, in « suo genere rebusque suis sub Deo et post Deum prima; « neque Deus potestatem instituit a qua illa deponatur aut « in ordinem redigatur » (Defensio cleri gallicani cap. 4, sectionis 2, libri 1, pag. 83, edit. Vesunt., 1846). Ibidem pagina 108 : « Ambas potestates, ecclesiasticam ac civilem, « ita esse divinio numine institutas, ut in suo genere et « ordine unaquæque sub uno Deo proxime collocata, prima « ac suprema sit. »

II. Si vero ab ipsis postules, quænam potestas alteri cedere debeat in quæstionibus ecclesiasticis quæ simul interesse temporale aliquo modo tangunt, quales sunt generatim leges disciplinares et multa etiam dogmata, coguntur respondere neutram teneri alteri sese submittere; et fatentur sibi nullum notum esse medium ad hujusmodi conflictus componendos; sed addunt Deum provisurum. En jam citati libri (quem Bossuetio tribuunt) de hac re verba : « Si duæ

« potestates inter se collidantur, ne propterea putes omnia « in incertum fluitare, aut abire in diversa ut equos ruptis « habenis; sed intus adesse occultum moderatorem Deum, « qui sollicitari interdum Ecclesiam suam, non tamen dissi- « pari velit » (l. 1, sect. 2, cap. 35, edit. Vesuntina, 1846, pag. 112).

III. Unde gallicanismus Bossuetianus, dum a sana et communi doctrina catholicorum doctorum recedit, totis viribus obnititur, ne ad gallicanismi parlamentarii cæsaropapiam trahatur. Quod ut præstet, pertinaciter hæret suo Manichæano principio duarum potestatum circa eamdem rem æqualium atque independentium. Quilibet autem princeps gallicanismum hunc (quem moderatum dicunt) in praxim deducens, legitime poterit resistere potestati ecclesiasticæ in omnibus quæ aliquo modo interesse temporale tangunt; et cum plerumque militibus fortior sit, coget auctoritatem ecclesiasticam ut sibi cedat; id est, tyrannice eam sibi subjiciet; ita ut redeat illa cæsaro-papia, quam a se non admitti affirmant gallicani moderati; sed quæ revera tota in ipsorum systemate reconditur. Unde sibi fucum faciunt, dum gallicanismi parlamentarii consectaria vitare se posse arbitrantur.

CAPUT V.

GALLICANISMI CIRCA LITURGIAM SYSTEMA.

Systema illud ad hæc tria capita reducemus: 1° Potest quilibet Episcopus, absque facultate Romani Pontificis, liturgiam in sua diœcesi prout opportunum sibi visum fuerit ordinare. 2° Id tamen non possunt Episcopi nisi dependenter a regis auctoritate. 3° Suprema proinde legislativa in liturgiam potestas penes regem residet. Hanc doctrinam revera in Galliis viguisse nunc probandum est.

Propositio 1ª. *A gallicanismo parlamentario, et etiam a*

gallicanismo moderato admissum est, posse quemlibet Episcopum in sua diœcesi, absque Romani pontificis facultate, liturgiam ordinare. — Probatur tum factis, tum editis in Gallia hac de re scriptorum sententiis. 1° Quidem factis : nam superiori sæculo Galliæ Episcopi relictis quas habebant legitimis liturgiis, novas sibi conflarunt, non obstantibus sancti Pii V et aliorum pontificum constitutionibus, quæ id, sub gravissimis etiam pœnis, fieri prohibuerant. Eos autem præsules bona fide ita egisse dubium non est : ergo persuasum habuerunt sibi competere jus liturgiam in suis diœcesibus ordinandi, absque sedis Apostolicæ facultate. Imo jus illud unus ex ipsis ex professo defendere conatus est in libro cui titulus : *De jure et potestate Episcoporum ordinandi officia divina intra fines suæ diœcesis, juxta omnium sæculorum traditionem a Christo Jesu ad nos usque transmissam.* Et licet præfatum opus fuerit a sacra congregatione Indicis confixum, nihilominus perrexerunt Episcopi Galliæ liturgias suas pro arbitrio et inconsulta sede Apostolica immutare atque ordinare. Item quando pro toto orbe approbatum a sancta Sede fuit officium sancti Gregorii septimi, atque sic (juxta leges pontificias) obligatorium evasit, nedum in Gallia receptum fuerit, clerus gallicanus in generalibus comitiis coadunatus regi declaratum et testatum voluit, nullum Episcopum officium hujusmodi recepisse aut recepturum. Imo quatuor episcopi idem officium, ne in suis diœcesibus recitaretur, sub pœnis prohibuerunt. Ex quo satis patet quam generalis tum apud gallicanos fuerit persuasio illa de jure Episcoporum liturgias absque sedis Apostolicæ facultate ordinandi. Sed et nostris temporibus idem tenuerunt duo præsules, qui contra abbatis Solesmensis libros tam acriter scripserunt ; nec eam opinionem deseruerunt adhuc hodierni gallicani. 2° Idem probatur variorum gallicanæ opinionis scriptorum dictis. Sic habet Durand de Maillane :

« C'est un droit des évêques, et même une obligation...

« d'examiner attentivement les livres d'église, tels que les « missels, antiphonaires, bréviaires, rituels, etc., et de ré« former ce qui s'y trouve de défectueux; mais ils ne sau« raient, dans ce royaume, innover aucune chose en l'exer« cice et célébration du service divin *sans l'autorité du roi* » (Durand de Maillane, Dict. can., au mot *livre*).

« Lorsque les évêques trouvent dans les bréviaires et dans « les missels de leurs diocèses des légendes fabuleuses ou « des cérémonies qui paraissent favoriser la superstition, ils « doivent les faire réformer, et avoir soin qu'on n'y insère « rien que d'édifiant et d'utile pour ceux qui doivent réciter « l'office divin. Les supérieurs généraux des congrégations « régulières ont le même droit pour le bréviaire de leur « ordre » (Lois ecclésiastiques par d'Héricourt, 3e partie, page 122, édit. de 1771).

Subdit hujus editionis annotator : « Il y a un grand nom« bre de bréviaires qui ont été ainsi réformés depuis le milieu « du dernier siècle. On n'y a fait entrer presque aucune « prière qui ne soit tirée mot pour mot de l'Ecriture sainte, « et on en a retranché les légendes apocryphes. Ce sont de « bons modèles à suivre pour ceux qui sont chargés par les « évêques d'un pareil ouvrage. Il y a eu un temps où l'on a « cru en France que l'on ne pouvait faire aucun changement « dans les bréviaires et les missels sans une permission par« ticulière du roi. Aujourd'hui on les regarde comme suffi« samment autorisés par les priviléges généraux que les « évêques obtiennent aux sceaux pour faire imprimer les « livres à l'usage de leurs diocèses.... Plusieurs chapitres pré« tendent que l'évêque ne peut publier de nouveau bré« viaire sans leur consentement, et qu'autrement ils ne se« raient pas obligés de le suivre » (Ibid. page 123).

Abundant gallicanæ opinionis libri in quibus Episcopis vindicatur jus de liturgia decernendi in suis diœcesibus, absque pontificia auctoritate; a quibus citandis brevitatis causa abstinemus.

Dici quidem posset a gallicanis moderatis, non admitti præfatum Episcoporum jus, eo præcise sensu quod non agnoscatur in Romano Pontifice superior circa liturgiam auctoritas, sed tantum eo sensu quod sedes Apostolica, vel Episcopis reliquerit moderandam in suis diœcesibus liturgiam, vel receptæ in Gallia non sint leges pontificiæ aliter de liturgia statuentes. — Sed inanis est illa objectio : nam gallicani simul sustinent fas esse Galliæ Episcopis, ob hujus regionis libertates et consuetudines, leges pontificias non recipere. Ergo suprema Romani Pontificis in liturgiam potestas, est potestas quæ exerceri non potest nisi dependenter ab Episcopis; ergo non est suprema, sed inferior, seu potius nulla. Unde gallicani, quandiu suum systema non deseruerint, fateri coguntur se verbis inanibus fucum facere, dum protestantur se agnoscere in Romanis Pontificibus supremam circa res liturgicas potestatem.

Propositio 2ª. *A gallicanismo parlamentario admissum fuit, non posse Episcopos de liturgia decernere absque regia auctoritate et facultate; atque hoc ipsum, in praxi saltem, admisisse videtur gallicanismus moderatus.* — Hanc thesim probant nimis multa documenta quæ tum in collectione *Actes du clergé de France* (præsertim parte III, titulo 3, tomi V, editionis 1716), tum in aliis libris occurrunt. Ex quibus pauca quædam seligemus, at quæ rem satis evincunt.

« La cour de Parlement de Paris (ait Bordenave, L'estat « de cathedrales, p. 164, édit. de Paris 1643) en jugeant « l'appel comme d'abus du changement du bréviaire d'An- « jou, ordonné par l'évèque d'Angers en l'église de la Tri- « nité, et injonction d'user de celui de Rome, réformé selon « l'avis des Pères assemblez en la ville de Trente, par ar- « rest donné en l'audience de la grand chambre le jeudi « 27 février 1603, plaidans Robert, Choppin, Bouchel et « Monthelon, entr'autres choses elle déclara que le service « divin ordinaire en l'église de la Trinité au dit Angers,

« serait continué. Et a fait inhibitions et deffences au dit « évèque d'innover rieu en l'exercice et célébration des of« fices, aux églises de son diocèse *sans l'authorité du roy.* « Comme aussi le grand conseil du roy par arrest du 10 fé« vrier 1604, dit que nullement et abusivement a été pro« cédé par l'official de Rouen, en ce qu'il aurait changé « l'office et bréviaire de son diocèse, dont il avait accous« tumé d'user : et luy a deffendu à l'advenir d'innover au« cune chose aux statuts, livres d'office et service de l'église « *sans la permission du roy.* Voyez les Plaidoyez de M. Ser« vin, t. I, et les Arrêts des cours souveraines recueillis par « Jean Tournet, arrest 99 et 100; la Bibliothèque du droit « françois par Laurens Bouchel, tom. I, in verbo *Bré« viaire.* »

Idem Bordenave, loco citato, pagina 175, sic testatur:

« Il a permis (le roi) par ses lettres patentes du 9 de « juillet en l'an 1611, aux chanoiues et chapitre de Sainct « Maxime de Chinon, de prendre et user du bréviaire de « l'Église Romaine, et conformément à iceluy faire et célé« brer le service divin en leur église, au lieu de l'ancienne « institution : à la charge.... d'avoir un propre des saincts « locaux. Et ensuite la cour de Parlement de Paris, sur cer« taines appellations comme d'abus, ordonna le 9 d'août, « au dit an, que le service en la mesme église de S[t] Maxime « serait fait à l'usage de Rome, à la charge du *proprium « Sanctorum.* »

Idem auctor testatur præterea breviarium Romanum in diœcesi Lascariensi, nonnisi ex permissione regia fuisse introductum : « Mesmes en ayant obtenu la permission du « roy, tant à l'exemple des autres églises et chapitres de « France, que pour la crainte qu'ils ont en qualité de sub« jects; ou plustôt désirant honorer en telle occurrence leur « restaurateur; et comme d'ailleurs ils ont appris qu'inhi« bitions et défenses auraient été faictes par divers arrests « du Parlement de Paris et du grand conseil, d'innover

« aucune chose en l'exercice et célébration du service divin « en plusieurs églises du royaume, sans authorité précé- « dente de sa Majesté. Qui sont les voyes qu'il faut tenir « en telle affaire, lorsque l'on veut quitter l'ancien bréviaire « et introduire le Romain en un diocèse. »

Jam supra idem affirmantem audivimus Durand de Maillane, necessariam nempe esse, pro quacumque immutatione liturgica, regiam auctoritatem. Juxta quod principium, Episcopus quidam Galliæ, in exorta cum capitulo suo circa res liturgicas et alia jurisdictionalia disceptatione, recursum instituit ad regem; qui die 10 februarii 1690 de mota controversia supremo judicio pronuntiavit :

« Veu par le roi étant en son conseil l'arrêt rendu en « icelui le 28 mai 1685, par lequel sa Majesté aurait évo- « qué, sur la requête du sieur de Forbin Janson, évèque « comte de Beauvais, vidâme de Gerberoy, pair de France; « les différents mus et à mouvoir entre lui et les doyen, « chanoines et chapitre de l'église cathedrale de Beauvais, « concernant le service divin, la jurisdiction spirituelle, « droits et prérogatives de sa dignité épiscopale, de ses of- « ficiers et autres semblables droits qui concernent l'Église « et ne regardent point les biens temporels du dit évêché : « ... Requète présentée au roi par le dit sieur évèque, ten- « dant à ce qu'il plut à sa Majesté le maintenir et garder « et ses vicaires généraux au droit et possession de donner « seuls des *visa* sur les signatures de cour de Rome, des « chapelles de l'église cathédrale, et des canonicats des bé- « néfices de l'église S[t] Nicolas du dit Beauvais; faire dé- « fenses aux dits sieurs doyen, chanoines et chapitre de « l'église de Beauvais, de plus donner aucuns *visa* pour « les dits bénéfices, sauf à eux d'y pourvoir en cas de va- « cance...;

« Ordonner que la procession qui se fait à l'issue des « vêpres le jour de l'Assomption et en toutes autres pro- « cessions, le doyen de la dite église, dignité ou autre cha-

« noine officiant, ne pourra marcher seul au milieu de deux « rangs à la fin de la procession, mais sera tenu de mar- « cher dans son rang et fil des autres, et au retour de la « procession sera tenu d'aller sur l'estrade proche les mar- « ches du sanctuaire, à l'endroit où était ci-devant le can- « delabre, pour dire les oraisons, sans les pouvoir dire en « son stal;

« Ordonner que l'office sera fait en conformité du ca- « lendrier du bréviaire imprimé par l'autorité de messire Au- « gustin Potier évèque de Beauvais, avec le consentement « desdits sieurs du chapitre en 1618; et faire défenses aux- « dits du chapitre de faire doubles les offices qui ne sont « que semi-doubles dans le calendrier; savoir la fête de l'ap- « parition de St Michel... de St Dominique... de St Bernard...; « et qu'il sera pareillement fait défenses au dit chapitre, de « plus faire aucune fête solennelle, savoir.., St Joseph.., « St François de Paul.., St Jacques et St Philippe.., la Trans- « figuration.., St François d'Assise.., la Présentation de la « Vierge et de St François Xavier.., qu'ils ont introduit de « leur autorité; ni de changer aucunement l'ordre du ca- « lendrier, jusqu'à ce que les nouvelles solennités et nou- « veaux offices aient été approuvés par le dit sieur évê- « que...;

« Faire défenses auxdits du chapitre de faire des prières « extraordinaires...; faire descendre les chasses de St Ger- « mer et autres qui sont en la dite église..;

« Ordonner que les reliques du corps de St Evrost seront « transférées par le dit sieur évèque dans la chasse nouvelle..; « faire défenses aux dits du chapitre de faire la bénédiction « des cloches nouvellement fondues..;

« Ordonner que le dit chapitre sera tenu, lorsque le dit « sieur évèque célèbrera la messe pontificalement, fournir « une chappe au chanoine.. qui l'assistera, la quelle chappe « conviendra aux dalmatiques et ornemens du jour, sans « que le dit chanoine, aumonier du dit sieur évèque ou

« autre, soit tenu d'en demander permission aux dits sieurs « du chapitre... »

De his ergo, et aliis similibus quæ brevitatis causa omittimus, pro suprema sua in rem liturgicam et disciplinam ecclesiasticam potestate judicavit Ludovicus Magnus hoc modo :

« Le roi étant en son conseil, faisant droit sur la dite « requête, a ordonné et ordonne :

« Que ceux qui seront pourvus en cour de Rome des « prébendes de l'église Saint Nicolas et des chapelles de « l'église cathédrale, se présenteront à l'évèque ou à son « vicaire général pour en obtenir *visa*, lorsque les signatures « leur seront adressées ; et si elles sont adressées au colla- « teur ordinaire, lesdits *visa* seront donnés par le dit cha- « pitre de l'église cathédrale ; sans préjudice au dit chapitre « de pourvoir aux dites prébendes et chapelles en cas de « vacance par mort, démission....

« Ordonne que, quand le dit sieur évèque sera présent à « la procession du jour de l'Assomption et autres proces- « sions générales, l'officiant marchera à la tête de la pro- « cession...; au retour, il ira dire les oraisons au candélabre « et pied du sanctuaire... »

Et postquam Majestas sua pariter definitive decrevit circa ritum officiorum, circa festa, reliquiarumque translationem et alia hujusmodi, sic decretum suum claudit : « Louis par la grâce de Dieu roi de France et de Navarre : « au premier notre huissier ou sergent sur ce requis : nous « te mandons et commandons par ces présentes signées de « notre main, que l'arrêt dont l'extrait est ci-attaché sous le « contre-scel de notre chancellerie, ce jourd'hui donné en « notre conseil, nous y étant ; tu signifies à tous à qu'il ap- « partiendra, à ce qu'ils n'en ignorent ; et fasses pour l'en- « tière exécution d'icelui tous actes et exploits nécessaires : « car tel est notre bon plaisir... Signé Louis ; *et plus bas,* « par le roi, *Colbert.* » (Actes du clergé, tome V, page 1429, edit. 1716.)

Factum porro illud ex multis retulimus tanquam testimonium disciplinæ jam tunc in Gallia circa quæstionem præsentem generaliter, in praxi saltem et de facto, receptæ. Exstant hujusmodi decreta, etiam circa aquam benedictam, talibus vel talibus porrigendam. Galliarum autem præsules, dum ad regiam potestatem pro regulanda liturgia recurrebant atque regis de hac re decreta pro validis recipiebant et exsequebantur, simul sustinebant congregationum romanarum tribunalia nulla auctoritate in Gallia pollere, ut in dicta collectione *Actes du clergé* pluries ab ipsis declaratum reperies.

Dicet forsan aliquis Galliæ plerosque Episcopos id coactos fecisse, non autem ex eo quod talem potestatem in rege agnoscerent. Id etiam ego existimarem, licet difficile forsan ex documentis probari possit. At vero certum est ex gallicano systemate præfatam principis potestatem logice fluere. Nam regiam auctoritatem esse prorsus independentem in iis omnibus quæ rem temporalem attingunt, tenent gallicani; etiam moderati; et tenent pariter regem cavere posse ne quid in disciplina ecclesiastica a quocumque statuatur contra libertates et consuetudines Galliæ; et ne Episcopi vel Papa sua spirituali potestate abutantur. Porro quælibet ordinatio circa liturgiam, utpote quæ possit populum aliquem commovere et perturbationes ciere, tranquillitatem civilem tangit; et per liturgiam introduci possent quædam quæ libertates et consuetudines in Gallia receptas læderent; et in liturgia conflanda vel immutanda abuti possent sua spirituali auctoritate summi Pontifices aut Episcopi; ergo his omnibus titulis jus habebit rex prohibendi ne quid circa liturgiam absque suo supremo assensu statuatur.

Propositio 3ª. — *Sequitur ex gallicanismi, tum parlamentarii, tum etiam moderati systemate, regi tribuendam esse supremam juris de liturgia dicundi potestatem.* — Id nempe concludendum venit ex duabus præmissis propositionibus. Nam ex priori jus supremum liturgicum ad Ro-

manum Pontificem non pertinet; sed possunt Episcopi, absque sedis Apostolicæ facultate, liturgias pro arbitrio suo in suis diœcesibus ordinare. Ex posteriori vero, id nequeunt iidem Episcopi absque facultate regia; ergo in rege suprema circa liturgiam potestas.

Scholium. — Hinc patet in quo gallicanum systema de jure liturgico a protestantium placitis differat, et in quo cum iisdem concordet : protestantes scilicet supremum jus liturgicum non agnoscunt in Papa, quia Papam rejiciunt. Gallicanismus idem jus Papæ denegat, quia contendit hoc jus papale in Gallia non recipi. Concordant nempe in excludendo Romano Pontifice ab ordinatione liturgiarum in singulis ecclesiis. Atvero in attribuenda principi legislativa circa liturgiam potestate, non omnino concordant cum protestantibus gallicani. Nam Mosheimius et Pfaffius toti sunt in denegando principibus temporalibus jure liturgico : Si enim, aiunt, posset princeps de liturgia definitive decernere, posset hoc ipso religionem et fidem ecclesiis imponere, ac proinde esset Papa : unde concludunt principem non posse de liturgia statuere nisi ex ecclesiarum assensu et voluntate. Gallicanum porro systema videtur ulterius in hac re processisse ; siquidem, amota Romani Pontificis suprema liturgiam in Galliis ordinandi potestate, id juris non tribuit præsulibus, nisi quatenus regi omnino subjectum. Et hoc quidem adverterat Zallwein, licet et ipse aliquoties a doctrina romana non parum alienus, quando catholicos doctores quosdam ad protestantem Mosheimium remittebat, ut moderationem circa quæstionem de jure liturgico discerent : « In hoc illius (1) discursu (inquit), sunt quæ nostris « doctoribus catholicis usui esse possunt; illis præprimis « qui jura majestatica ultra omnes limites extendunt. Annon « quotidiana experientia docemur quod hodiernis tempori- « bus sese principes sæculares catholici rebus disciplinaribus

(1) Nempe Mosheimii.

« quibuscumque, præsertim liturgicis, immisceant, ut « non modo jus *circa liturgiam*, sed ipsum *jus liturgi-* « *cum* exercere videri possint, non tunc solummodo quando « de præjudicio et interesse publico vero, sed etiam de hilo « quasi agitur? Sic e. g. in quibusdam locis inhibent prin- « cipes ornatum ecclesiarum, interdicunt solemnes proces- « siones, determinant numerum cereorum quos coram nu- « mine eucharistico accendere liceat.... Videntur mihi mul- « torum catholicorum principia solo nominis sono differre « a principiis protestanticorum. Id nempe quod protestan- « tes appellant *jus in sacra*, nostri doctores vocare consue- « verunt *jus regium*, *dominium altum*, *placitum regium* » (Zallwein, Principia juris eccl., t. II, p. 115).

SECTIO II.

AD QUEM PERTINEAT SUPREMA JURIS DE LITURGIA DICUNDI POTESTAS.

Expositis in superiori sectione protestantismi et gallicanismi systematibus circa supremam leges de liturgia ferendi potestatem, remanet ut dicamus quænam hac de re videatur recta et tenenda doctrina, eamque probationibus firmemus. Id vero præstabimus hoc ordine : 1° Romano Pontifici vindicabimus supremum in tota Ecclesia jus liturgicum. 2° Probabimus jus illud non pertinere, neque ad multitudinem seu ad collegium fidelium ; 3° neque ad sæculares principes ; 4° neque ad prælatos et Episcopos independenter a Romano Pontifice. 5° Potuisse tamen ex tacito vel expresso Romani Pontificis consensu regulationem liturgiæ pertinere ad singulos Episcopos pro suis diœcesibus, ad prælatos ordinum religiosorum pro suis familiis, vel ad concilium provinciale pro unaquaque provincia. 6° De facto a sede Apostolica sacræ Congregationi rituum collatam fuisse ordinariam po-

testatem tum declarandi tum ferendi leges circa liturgiam in tota Ecclesia catholica.

CAPUT I.

SUPREMUM JUS LITURGICUM AD ROMANUM PONTIFICEM PERTINET.

I. *Probatur ex principiis doctrinæ catholicæ omnino certis.* — 1° Certum est Romanum Pontificem esse supremum Ecclesiæ universalis pastorem. Nam quod Petro Christus commiserit pascendum universum gregem, oves et agnos, in sacris paginis expresse continetur, estque de fide. Quod vero prærogativa hæc data simul a Christo fuerit Petri successoribus, tota docet traditio, et æquivalenter id definivit concilium Florentinum, cum dixit, in persona Petri Romano Pontifici datam a Christo fuisse *plenam potestatem pascendi, regendi atque gubernandi* universalem Ecclesiam. Unde certum omnino est Romanum Pontificem esse supremum Ecclesiæ universæ pastorem, ita ut singula Ecclesiæ membra relative ad ipsum sint oves. Porro in tali potestate includitur et continetur supremum jus liturgicum. Nam, ut in prima Parte statuimus, liturgia ex natura sua est expressio et professio dogmatis seu doctrinæ alicujus; et sicut potest exsistere liturgia quæ sit expressio et professio rectæ doctrinæ circa fidem et mores, ita et exsistere possunt liturgiæ erroribus et hæresibus maculatæ et bonis moribus atque orthodoxæ fidei contrariæ. Ergo nisi supremus ecclesiarum omnium pastor possit cujuslibet ecclesiæ liturgiam regere, et prout opportunum judicaverit determinare, carebit potestate gregem ad pascua sibi bene visa deducendi, nec poterit eum a venenatis pascuis abducere et præservare; sed pastor qui caret potestate gregem ducendi ad pascua quæ ipse judicat bona, et abducendi a pascuis quæ ipsi venenata videntur, non est hujus gregis supremus

pastor; ergo ut Romanus Pontifex sit vere universalis Ecclesiæ pastor, debet posse legibus suis liturgiam ubique terrarum determinare. 2° Certum est Romano Pontifici competere *primatum jurisdictionis* in universam Ecclesiam; nec catholice sentit qui hoc negat. Ut autem aliquis vere habeat primatum jurisdictionis ecclesiasticæ, seu, quod idem est, ut habeat supremam potestatem gubernativam in omnes, quoad spiritualia, necesse est ut nullus alius existat qui possit independenter ab eo leges ferre de aliqua re ecclesiastica : si enim aliquis Episcopus, verbi gratia, posset in sua diœcesi de rebus ecclesiasticis leges ferre independenter a Papa, falsum esset Papam habere in hunc Episcopum et in hanc diœcesim supremam jurisdictionem seu primatum jurisdictionis. Sed leges ferre de liturgia pertinet quammaxime ad jurisdictionem ecclesiasticam; ergo non potest quisquam in ulla ecclesia habere independenter a Papa jus liturgiam regulandi. 3° Certum est, ex concilio Tridentino, Romano Pontifici competere *supremam* in Ecclesia universali potestatem; sed suprema non esset hæc potestas, si quis independenter a Papa regulare posset cultum externum seu liturgiam, quæ, ut diximus, est publica expressio et professio religionis et doctrinæ fidei. 4° Ex definitione concilii œcumenici Florentini Romano Pontifici competit *plena* potestas universalem Ecclesiam *pascendi, regendi et gubernandi;* sed plena non esset hæc potestas, si quis posset independenter a Papa liturgiam præscribere, et sic fidem publice exprimendam et profitendam determinare; ergo repugnat cum definitione supradicti concilii œcumenici posse aliquem in aliqua ecclesia liturgiam independenter a Romano Pontifice regulare. 5° Ad Romanum Pontificem, sive solum sive cum concilio œcumenico pertinet fidem tenendam docere, definire ac præscribere. Ergo ad eumdem, sive solum sive cum concilio œcumenico pertinet determinare et præscribere modum quo Ecclesiæ fidem publice exprimant et profiteantur; sed liturgia est præcipuus

modus doctrinam fidei publicæ exprimendi et profitendi; ergo ad nullum independenter a Papa pertinere potest liturgiæ regulatio. 6° In tractatu *De principiis juris canonici* fuse probavimus, ad Romanum Pontificem pertinere leges de disciplina pro universa Ecclesia sancire; ita ut suprema totius disciplinæ ecclesiasticæ regulatio sit penes summum Pontificem, nec possit quisquam absque peccato pontificiis de disciplina legibus, quas Papa obligatorias esse vult, resistere. Atqui liturgiæ regulatio est præcipua pars disciplinæ ecclesiasticæ; ergo Papa potest de ea leges ferre quibus omnes ligentur; ergo nullus potest independenter a Papa circa rem liturgicam statuere.

Unde revera ex certissimis doctrinæ catholicæ principiis invicte sequitur supremum jus liturgicum ad Romanum Pontificem pertinere.

II. *Confirmatur ex perpetua Ecclesiæ praxi.* — A primis nempe Ecclesiæ sæculis Romanus Pontifex supremum jus legislativum circa liturgiam exercuit; quod ut probemus, aliqua tantum facta, sæculorum seriem decurrendo, memorabimus.

1um *factum.* — Anno 196, Ecclesiæ clavum regente sancto Victore I, orta est celebris controversia de die quo celebrari fas esset festum Paschæ. Eam sic refert Eusebius (Hist. l. 5, cap. 23 et seq.) : « Iisdem temporibus gravis controversia « exorta, eo quod omnes per Asiam ecclesiæ, vetusta qua- « dam traditione nixæ, quartadecima luna salutaris Paschæ « festum diem celebrandum esse censebant, quo die præ- « scriptum erat judæis ut agnum immolarent...; cum tamen « reliquæ totius orbis ecclesiæ alio more uterentur, qui ex « apostolorum traditione profectus etiamnum servatur; ut « scilicet non alio quam Resurrectionis dominicæ die, jejunia « solvi liceat : synodi ob id cœtusque Episcoporum conve- « nere... Episcopis vero Asiæ, qui morem sibi a majoribus « traditum retinendum esse acriter contendebant, Polycrates « præerat. Qui quidem in ea epistola quam ad Victorem et

« ad Romanæ Urbis Ecclesiam scripsit, traditionem ad sua « usque tempora propagatam exponit his verbis : *Nos igitur « verum ac genuinum agimus diem, nec addentes quid- « quam neque detrahentes....* » (In reliqua sua argumentatione totus est Polycrates ut documentis probet asiaticam consuetudinem a sancto Joanne apostolo usque ad ipsum, nunquam interrupta praxi, perdurasse : postea subjungit hoc modo) : « *Nihil moveor iis quæ nobis ad formidinem « intentantur. Etenim ab illis qui me longe majores erant « dictum scio : Obedire oportet Deo magis quam homi- « nibus....* His ita gestis, Victor quidem Romanæ Urbis « Episcopus illico omnes Asiæ vicinarumque provinciarum « ecclesias, tanquam contraria rectæ fidei sentientes, a com- « munione abscindere conatur (πειρᾶται)... Verum hæc non « omnibus placebant episcopis. Proinde Victorem ex adverso « hortati sunt, ut ea potius sentire vellet quæ paci et uni- « tati caritatiqueerga proximum congruebant. Exstant etiam « num eorum litteræ, quibus Victorem acerbius perstrin- « gunt (πληκτικώτερον καθαπτομένων). Ex quorum numero « Irenæus in epistola quam scripsit nomine fratrum quibus « præerat in Gallia, illud quidem defendit, solo die Domi- « nico resurrectionis Domini mysterium esse celebrandum : « Victorem tamen decenter admonet, ne integras Dei ec- « clesias, morem sibi a majoribus traditum custodientes, a « communione abscindat. » Factum istud, ex quo protestantes, et eorum exemplo Febronius, Dupin aliique plurimi, argumenta depromere tentarunt adversus primatum jurisdictionis Romanorum Pontificum, probat e contra falsum esse illorum scriptorum systema, et in specie ostendit sedem Apostolicam jam a sæculo secundo, supremo suo in liturgiam jure esse usam. In hac enim causa agebatur de re disciplinari ad liturgiam pertinente; de praxi nempe aliqua liturgica in Asia Minori ab ecclesiarum ibi constitutarum exordiis obtinente. Romanus autem Pontifex potestatem sibi tribuit praxim illam tollendi, et asiaticos Episcopos ad

illam deserendam cogendi. Ipse enim litteris suis varias ad rem illam tractandam synodos coire procurat, ut probat Coustant (Epist. Roman. Pontificum, pag. 91 et seq.) et Zaccaria (Biblioth. ritualis, tom. I, dissert. 1, pag. XXI et seq.) : ipse consilium init ecclesias Asiæ omnes excommunicandi, eo quod præfatam praxim deserere recusent. Multi quidem cæterarum regionum catholici Episcopi Victorem de nimia et minus opportuna severitate carpunt; at nullus ei dicit : *Jus quod tibi attribuis, non habes* : nullus ei objecit, ad ipsum non pertinere de re liturgica decernere in tam remotis et extra patriarchatum romanum positis ecclesiis. Et tamen id ante omnia procul dubio sancto Victori opposuissent, si ipsis persuasum non fuisset, penes Romanos Pontifices revera esse supremam potestatem de re disciplinari, ac proinde etiam liturgica, decernendi, in universali Ecclesia. Resistebat quidem Polycrates cum cæteris Asiæ præsulibus; at dicendo *melius esse obedire Deo quam hominibus*. Quæ sententia satis ostendit falsam in qua versabantur persuasionem, peccaminosam nempe fore asiaticæ praxeos injunctam mutationem. Et revera Romano Pontifici peccatum præscribenti obedire nullus tenetur nec debet. Cum ergo hac sola de causa restiterint asiatici Episcopi, eo ipso satis aperte agnoverunt obligationem parendi Romanis Pontificibus de disciplina decernentibus, modo aliquid peccaminosum non injungant. Quam nisi agnovissent, non tantum dixissent sancto Victori : non obedimus, quia res injuncta peccaminosa est ; sed addidissent : etiamsi peccaminosa non esset, ad te non pertinet liturgiam in nostris ecclesiis præscribere, mutare aut corrigere. De paucis ergo monumentis quæ circa hanc controversiam supersunt, merito cum Zaccaria dici potest : *Annon isthæc supremam legumlatoris auctoritatem produnt ?* (Biblioth. rit. dissert. 1, pag. 30).

2um *factum*. — Anno 385, sanctus Siricius Papa, in prima sua ad Himerum Tarraconensem Episcopum epistola,

decernit baptisma, extra casum necessitatis, nullo alio quam Paschatis et Pentecostes tempore conferri; contrariam vero consuetudinem in Hispanias introductam, sub pœna excommunicationis corrigendam jubet. Sic in præfata epistola exorditur laudatus Pontifex : « Directa ad decessorem « nostrum sanctæ recordationis Damasum fraternitatis tuæ « relatio me jam in sede ipsius constitutum, quia sic Domi-« nus ordinavit, invenit. Quam cum in conventu fratrum solli-« citius legeremus, tanta invenimus quæ reprehensione et cor-« rectione sint digna, quanta optaremus laudanda cognoscere.. « Non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus « major cunctis christianæ religionis zelus incumbit. »

Hæc profecto verba testantur qua libertate apostolica Romani Pontifices a primis Ecclesiæ sæculis cæteros per orbem Episcopos alloqui solerent; et quindecim disciplinæ capita de quibus postea decernit S. Siricius non minus aperte ostendunt plenam potestatem legislativam qua Romanus antistes in totum catholicum orbem uti consueverat. Præfatum autem circa baptisma decretum sic exprimitur : « Se-« quitur deinde baptizandorum, prout unicuique libitum « fuerit, improbabilis et emendanda confusio, quæ a nostris « consacerdotibus, quod commoti dicimus, non ratione au-« ctoritatis alicujus, sed sola temeritate præsumitur, ut pas-« sim ac libere Natalitiis Christi, seu Apparitionis, necnon « et apostolorum seu martyrum festivitatibus innumeræ, ut « asseris, plebes baptismi mysterium consequantur; cum « hoc sibi privilegium et apud nos et apud omnes eccle-« sias dominicum specialiter cum Pentecoste sua Pascha « defendat; quibus solis per annum diebus, ad fidem con-« fluentibus generalia baptismatis tradi convenit sacramenta. « Hactenus erratum in hac parte sufficiat : nunc præfatam « regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab aposto-« licæ petræ super quam Christus universalem construxit « Ecclesiam, soliditate divelli » (Dom Coustant, Epist. Romanorum Pontif., page 624).

3um *factum*. — Idem sanctus Siricius in decima sua epistola, ad Galliæ episcopos directa (1), decernit baptisma, non a diaconis, sed a presbyteris, excepto necessitatis casu, esse ministrandum : « Reliquis vero temporibus, ubi ægri« tudinis necessitas consequi unumquemque compellit, « specialiter presbytero licentia est per salutaris aquæ gra« tiam dare indulgentiam peccatorum, quoniam et munus « ipsi licet causa mundationis offerre; diaconis vero nulla « licentia invenitur esse concessa : sed quod semel forte « contigit usurpare, per necessitatem dicuntur excusari, « nec postea in securitate commissuri. » Huic vero decreto disciplinari subjungitur alterum de oleo exorcizato in unctionibus baptismalibus adhiberi solito (Coustant, Epist. Rom. Pont., pag. 691, n° 10, prima editio).

4um *factum*. — Anno 416, Innocentius I in sua ad Decentium Episcopum epistola, inter cætera disciplinæ statuta, decernit osculum pacis nonnisi absoluta mysteriorum celebratione esse porrigendum, et in oblatione prius dicendam a sacerdote orationem quam recitanda offerentium nomina: « Si instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis apostolis tradita, « integra vellent servare Domini sacerdotes, nulla diversi« tas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus « haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, « sed quod sibi visum fuerit hoc æstimat esse tenendum, « inde diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri aut « celebrari videntur; ac fit scandalum populis, qui dum « nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione cor« ruptas, putent sibi aut ecclesias non convenire, aut ab « apostolis vel apostolicis viris contrarietatem inductam. « Quis enim nesciat aut non advertat id quod a principe « apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac

(1) Hanc epistolam esse Innocentii I existimarunt quidam eruditi; at Coustant probavit eam inter certas Siricii epistolas esse collocandam, et rem extra controversiam fecit.

« nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec « superduci aut introduci aliquid quod auctoritatem non « habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum?..... Sæpe « dilectionem tuam ad Urbem venisse, ac nobiscum in Ec- « clesia convenisse non dubium est, et quem morem vel in « consecrandis mysteriis, vel in cæteris agendis arcanis te- « neat, cognovisse. Quod sufficere ad informationem Ec- « clesiæ tuæ, vel reformationem si præcessores tui minus « aliquid aut aliter tenuerunt, satis certum haberemus, nisi « de aliquibus consulendos nos esse duxisses. Quibus id- « circo respondemus, non quod te aliqua ignorare credamus, « sed ut majori auctoritate vel tuos instituas, vel si qui a « Romanæ Ecclesiæ institutionibus errant, aut commoneas, « aut indicare non differas, ut scire valeamus qui sint qui « aut novitates inducunt, aut alterius ecclesiæ quam Ro- « manæ existimant consuetudinem esse servandam. Pacem « igitur asseris ante confecta mysteria quosdam populis im- « perare, vel sibi inter se sacerdotes tradere, cum post omnia « (quæ aperire non debeo) pax sit necessario indicenda, per « quam constet populum ad omnia quæ in mysteriis agun- « tur atque in Ecclesia celebrantur præbuisse consensum, « ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrentur. « De nominibus vero recitandis antequam precem sacerdos « faciat, atque eorum oblationes quorum nomina recitanda « sunt sua oratione commendet, quam superfluum sit, et « ipse pro tua prudentia recognoscis..... Prius ergo obla- « tiones sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina « quorum sunt edicenda..... De consignandis vero infan- « tibus, manifestum est non alio quam ab Episcopo fieri « licere.... » (Dom Coustant, Romanorum Pontificum Epi- stolæ, pag. 855). Exstant in eadem decretali nonnullæ aliæ circa liturgiam ordinationes, quas brevitatis causa omittimus.

5um *factum.* — Anno 428, sancti Cœlestini epistola ad provinciæ Viennensis et Narbonensis Episcopos. In ea scili-

cet Galliarum regione, usurpatus mos a sacerdotibus fuerat, ut in sacra re peragenda palliis quibusdam et cingulis uterentur. Quam consuetudinem reprobat et sublatam vult præfatus Pontifex : « Cuperemus quidem, inquit, de vestra« rum ecclesiarum ita ordinatione gaudere, ut congratula« remur potius de profectu, quam aliquid admissum contra « disciplinam ecclesiasticam doleremus.... Didicimus enim « quosdam Domini sacerdotes superstitioso potius cultui « inservire, quam mentis vel fidei puritati..... Amicti pallio « et lumbos præcincti, credentes se Scripturæ fidem, non « per spiritum, sed per litteram completuros..... Unde hic « habitus in ecclesiis gallicanis, ut tot annorum tantorum« que Pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur ? « Discernendi a plebe vel cæteris sumus doctrina, non veste; « conversatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. « Nam si studere incipiamus novitati, traditum nobis a Pa« tribus ordinem calcabimus » (Dom Coustant, loco citato, pag. 1066).

6um *factum*.—Sanctus Leo Magnus in sua nona ad Dioscorum Alexandriæ antistitem epistola, præscribit iterari sacrificium eucharisticum in iis ecclesiis quæ, præ confluentium fidelium multitudine, toti continendo populo impares sunt : « Illud quoque volumus custodiri ut cum solemnior quæque « festivitas conventum populi numerosioris indixerit, et ea « fidelium multitudo convenerit quam recipere basilica « simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter itere« tur » (Edit. Migne, t. I, p. 626). In Siciliæ vero Episcopos, quod die sancto Epiphaniæ baptisma ministrarent, severa reprehensione animadvertit : « Quam culpam (ait) nul« lo modo potuissetis incidere, si unde consecrationem ho« noris accipitis, inde legem totius observantiæ sumeretis ; « et beati Petri apostoli sedes, quæ vobis sacerdotalis mater « est dignitatis, esset ecclesiasticæ magistra rationis » (loco citato, p. 696).

7um *factum*. — Sancti Gregorii Magni variæ circa litur-

giam ordinationes. In sua ad sanctum Leandrum Hispalensem Episcopum epistola (edit. Migne, t. III, p. 496), approbat unicam in Hispania fieri baptismalem immersionem :

« De trina vero mersione baptismatis, nil responderi verius potest quam ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa.... sed quia nunc usque ab hæreticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo... »

Præcipue vero attentione dignum sancti Gregorii Magni rescriptum, quo præcipuis ecclesiæ Ravennatensis diaconibus usum mappulæ permittit, cæteris vero clericis interdicit, non obstante contraria hujus ecclesiæ consuetudine. Quam ordinationem ad Joannem Ravennatem archipræsulem his verbis transmittit : « Primis diaconibus vestris...; in obsequio dumtaxat tuo, mappulis uti permittimus; alio autem tempore vel alias personas hoc agere vehementissime prohibemus » (loco supra citato, p. 654). Moderari illud decretum optabat Ravennatensis Archiepiscopus, atque in hunc scopum litteras ad sanctum Gregorium transmisit, in quibus variis documentis probabat, privilegio mappulæ sub præcedentibus Romanis præsulibus omnes Ravennatensis ecclesiæ presbyteros et diaconos pacifice fuisse gavisos. Nihilominus, utpote qui bene noverat supremam Romani Pontificis in res liturgicas potestatem, protestatur se decreto obtemperaturum, donec per novas Gregorii litteras certior fieret de concessa præfatæ consuetudinis retinendæ facultate. *Ego*, inquit, *jussionibus apostolatus Domini mei parere desiderans, quamvis antiqua consuetudo obtinuit, usque ad secundam jussionem abstinere curavi* (loco citato, p. 656). Cur autem ita parendum existimaret depromens, sententiam protulit memoratu dignam, qua in æternum conteretur omnium sedis Apostolicæ jussis obluctantium, et ad priorum sæculorum disciplinam provocantium pervicacia : *Et quibus ausibus*, ait, *ego sanctissimæ illi sedi, quæ universali Ecclesiæ jura sua*

transmittit, præsumpserim obviare? Præclara utique, atque invicta ratiocinatio : si enim omnia in Ecclesia universali jura a sede Apostolica fluunt, ergo et jus liturgicum.

Idem Gregorius Magnus in quadam ad Januarium Calaguritanum Episcopum epistola sic decernit : « Episcopi « baptizatos infantes signare bis in frontibus chrismate non « præsumant ; sed presbyteri baptizandos ungant in pectore, « ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte » (loco supra citato, p. 677). Et in sequenti ad eumdem epistola : « Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse quod « presbyteros chrismate tangere eos qui baptizandi sunt pro- « hibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem eccle- « siæ nostræ fecimus; sed si omnino hac in re aliqui contri- « stantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in fron- « tibus baptizandos chrismate tangere debeant concedimus» (loco supra citato, p. 696). Ex quo textu efformavit Gratianus canonem 1, distinctionis 95.

Ex epistola Joannis Syracusani Episcopi (S. Gregorii Magni Opera, edit. Migne, t. III, p. 955) discimus, a sancto Gregorio Magno dispositum fuisse *Ordinarium missæ*. De quo murmur in Sicilia ortum; non quidem eo quod putaretur sanctum Pontificem extra potestatis suæ fines fuisse progressum, sed quod dolerent ipsum nimis multa, ut existimabant, e Constantinopolitanæ ecclesiæ consuetudinibus in suam reformatam liturgiam intulisse. Quam querelam diluit sanctus Pontifex his verbis : « Veniens quidam de « Sicilia mihi dixit quod aliqui amici ejus, vel græci vel la- « tini, nescio, quasi sub zelo sanctæ Romanæ Ecclesiæ de « meis dispositionibus murmurarent, dicentes : Quomodo « ecclesiam Constantinopolitanam disponit comprimere, qui « ejus consuetudinem per omnia sequitur? Cui cum dicerem : « Quas consuetudines ejus sequimur? Respondit : Quia *al-* « *leluia* dici ad missas extra Pentecostes tempora fecistis; « quia subdiaconos spoliatos procedere; quia *kyrie eleison* « dici; quia orationem dominicam mox post canonem dici

« statuistis. Cui ego respondi quia in nullo eorum aliam « ecclesiam secuti sumus. Nam ut *alleluia* hic diceretur, de « Ierosolymorum ecclesia ex beati Hieronymi traditione, « tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ, traditur tractum; « et ideo magis in hac re illam consuetudinem amputavimus « quæ hic a Græcis fuerat tradita. Subdiaconos autem ut « spoliatos procedere facerem, antiqua consuetudo fuit. Sed « placuit cuidam nostro Pontifici, nescio cui, qui eos vesti- « tos procedere præcepit. Nam vestræ ecclesiæ nunquid tra- « ditionem a Græcis acceperunt? Unde habent ergo hodie « ut subdiaconi lineis in tunicis procedant, nisi quia hoc a « matre sua Romana Ecclesia perceperunt? »

Idem Gregorius Magnus Aregio, Agapensi in Galliis Episcopo, facultatem fecit dalmaticam gestandi; quo privilegio ipsius etiam archidiaconum donavit : « Præterea communis « filius Petrus diaconus nobis innotuit (*id est* innotescere « fecit) quod fraternitas vestra tempore quo hic fuit, po- « poscerit ut sibi et archidiacono suo utendi dalmaticis li- « centiam præberemus.... hujus auctoritatis (1) nostræ serie « petita concedimus, atque te vel archidiaconum tuum dal- « maticarum usu decorandos esse concessimus » (Epistola- « rum lib. IX, epist. 107, edit. Migne, t. III, p. 1034).

Hæc ego e sex prioribus Ecclesiæ sæculis pontificiæ circa liturgiam legislationis exempla deprompsi : pauca quidem ex multis, quæ, non obstante monumentorum hujus temporis penuria, ab eruditis reperiri posse existimem.

Ad sequiora vero tempora si deveniamus, sedem Apostolicam magis ac magis huic de re liturgica legislationi incumbentem reperimus; ita ut eam sibi demum totam quoad orientales simul et occidentales ecclesias reservet. Sanctus nempe Gregorius VII in Hispania Romanam liturgiam, sublata Mozarabica, usurpari præcipit. Alexander III beatifica-

(1) In veteri ecclesiastico stylo *auctoritates* nuncupantur ipsæmet Romanorum Pontificum epistolæ.

tionis et canonizationis causas, sedi Apostolicæ in posterum rerervatas decernit. Clemens IV dominicanorum liturgiam ita determinat, ut jam in nulla re possit absque Romani Pontificis auctoritate immutari. Orti post sanctum Franciscum Assisium religiosorum novi ordines Romanæ liturgiæ mancipantur. Sanctus Pius V universali lege reformato a se missali et breviario ritus latini ecclesias (paucis exceptis) subjicit. Similem postea legem successores ejus quoad pontificale, cæremoniale, rituale et martyrologium edicunt; atque simul suas orientalibus ecclesiis liturgias, jam a nullo, præter sedis Apostolicæ veniam, immutandas imponunt. Et tandem instituta est sacra Rituum Congregatio cum potestate ordinaria in totum orbem ad solvenda dubia, ad tollendos abusus, atque ad sancienda omnia quæ sibi ad rem liturgicam opportuna videbuntur.

Ergo revera sedes Apostolica supremam juris de liturgia dicundi potestatem sibi attribuit et exercuit. Quæ si ad ipsam revera non pertineret, per totam sæculorum seriem erroris usurpationisque et injustitiæ labe fœdatam fuisse Romanam Ecclesiam dicendum foret. Quod cum asserere nefas sit, concludendum ex Ecclesiæ praxi sedi Apostolicæ revera vindicari supremum jus liturgicum.

CAPUT II.

SUPREMUM JUS LITURGICUM NON PERTINET AD MULTITUDINEM, ID EST, AD COLLECTIONEM MEMBRORUM OMNIUM CUJUSLIBET ECCLESIÆ, UT MULTI PROTESTANTES TENUERUNT.

Jam satis confutatus remaneret error ille ex dictis in superiori capite: si enim suprema juris de liturgia dicundi potestas ad Romanum Pontificem, Christi in terris vicarium, pertineat, profecto sequitur illud ad singularum ecclesiarum multitudinem pertinere non posse. Pro rei tamen gravitate,

directis etiam argumentis protestantici illius systematis inanitatem et falsitatem patefaciendam duximus.

§ I.

Subvertitur ipsummet principium quo totum nititur præfatum systema.

Errant protestantes in definienda et intelligenda Christi Ecclesia; atque in ea falsa notione et definitione totum radicatur eorum de jure liturgico systema. Negant scilicet veram Christi Ecclesiam constare auctoritate aliqua regente et fidelibus huic auctoritati subjectis; et volunt eam nil aliud esse quam ipsammet collectionem, seu *collegium* (ut vocant), fidelium articulos fidei fundamentales a Christo traditos profitentium. Hinc, juxta eorum placita, nullam Christus Ecclesiæ suæ præfecit auctoritatem ad docendam et gubernandam fidelium multitudinem, nullum sacerdotium ad sacra conficienda, cujus ministerio sacramentorum vivificam vim populi reciperent. Omnis proinde legislativa circa disciplinam potestas penes totam fidelium collectionem residet, et ex omnium consensu pendet. Unde dum ab iis protestantibus, quos hic confutamus, declaratur, *determinandæ liturgiæ jus ad Ecclesiam pertinere*, non aliud intelligendum venit, quam *ad multitudinem fidelium jus illud spectare.*

Ut ergo penitus subvertatur hujusmodi systema, sufficit verum demonstrari principium contrarium, nempe : a Christo Ecclesiæ præpositam fuisse auctoritatem quæ fidelium populum regeret, eique credenda et facienda præscriberet. Porro principium istud, tum ex Scriptura sacra, tum facto historico formæ quam a primis sæculis exhibuit Ecclesia, verum invicte demonstratur.

I. Et primo quidem id aperte testantur Scripturæ. — 1° Enim referunt Ecclesiam a Christo constitutam fuisse cum forma *ovili* propria. Porro typus ille, licet metaphoricus, arguit plenissime esse in Ecclesia aliquem cui competat vera

fideles gubernaudi potestas. Nam Ecclesia non potest formam ovilis exhibere, nec nisi mendaciter a Christo dicta fuisset ovile, nisi aliquis in ea personam pastoris agat, et alii ovium. Jam vero sicut absurdum est in quocumque ovili, invigilandi, pascendi et regendi potestatem ad oves pertinere et non ad pastorem, ita in Ecclesia Christi, si in ovilis forma constituta fuerit, supponi nequit gubernandi auctoritatem ad totam multitudinem spectare. — Ast, aiunt protestantes, pastorem et nos admittimus, Christum nempe, qui spiritus sui illapsibus unamquamque ovem suam immediate illuminat, pascit atque gubernat. Id tantum asserimus, non esse alium, præter Christum, pastorem admittendum. Hac vero responsione protestantes, præterquam quod difficultatem non solvunt, Scripturis aperte contradicunt. Inprimis quidem, etiam admittendo unicum esse in Ecclesia pastorem Christum, absurdum remanet eorum systema quo multitudini tribuunt supremum jus determinandæ liturgiæ et disciplinæ. Nam si hanc potestatem habet collectio fidelium, remanet oves seipsas regere, non autem ab aliquo pastore regi. Nec dicatur eas invisibiliter etiam in hoc dirigi a Christo, mediante inspiratione interna singulis infusa; nam tunc in minima quæstione de disciplina et liturgia, expectandum erit donec Christus cuique fidelium revelaverit quid faciendum sit, et interea nulla poterit liturgia, nulla disciplina constitui; et quidquid in hunc usque diem etiam apud protestantes circa disciplinam actum est, cum vi hujusmodi revelationum singulis factarum statutum non fuerit, invalidum fuit et tyrannicum. Imo si res circa disciplinam statuenda a singulorum inspirationibus pendeat, discernendum erit an unusquisque mentiatur necne, aut aliqua mentali alienatione laboret, dum protestatur se talem revelationem habuisse. Et cum nulla sit auctoritas ad hoc discernendum et judicandum, incertæ semper remanebunt privatæ hujusmodi inspirationes; ac proinde nunquam ex illis jus ullum disciplinare certum oriri poterit: unde prædicta re-

sponsione minime possunt protestantes ex sui systematis absurditate sese extricare. Sed insuper sacris paginis omnino contradicunt, dum asserunt nullum in Ecclesia præter Christum constitutum fuisse pastorem. Licet enim Christus primarius pastor sit et remanere in æternum voluerit, constat ab ipso constitutum in terris fuisse pastorem *secundarium* cui regendam Ecclesiam suam commisit : nota scilicet verba ad Petrum directa : *pasce oves meas... pasce agnos meos... confirma fratres tuos... tibi dabo claves regni cœlorum : quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis.* Hoc apertissimum factum constituti a Christo et delegati pastoris secundarii, deleant si possint e sacris paginis protestantes : si vero non possunt, agnoscant ibi aperte pronuntiari systematis sui condemnationem. Quomodo insuper non vident quot oriantur absurda ex ista hypothesi, unicum nempe esse pastorem Christum, et Ecclesiam ex collectione inspirationum internarum singulis fidelibus immediate infusarum, esse gubernandam ? Nam certum est a Christo sublatam non fuisse libertatem mentiendi ; ac proinde poterunt mendaces viri fingere et attestari sibi talem et talem a Spiritu sancto infusam inspirationem : item certum est a Christo sublatos non fuisse delirantis imaginationis et alienationis mentalis morbos ; unde poterunt multi imaginationis et morbidi cerebri deliramenta pro veris revelationibus et inspirationibus habere. Et certe si velint protestantes adire domos in quibus custodiuntur mente capti, multos reperient, qui se existiment ditissima revelationum et visionum farragine a Spiritu sancto ditatos. Nec ullibi in terris pro tribunali sedet Christus ut inter veras inspirationes et deliramenta mendaciave pronuntiet. Ergo nisi Christus in Ecclesia statuisset auctoritatem ad fideles in fide et disciplina regendos, cum aliunde ipse id non præstet per seipsum, concludendum esset, nihil unquam in mundo insipientius, et ad generandas lites, scissiones, perturbationes, confusio-

nemque omnimodam, aptius fuisse institutum, quam id quod Ecclesiæ et sponsæ suæ nomine Dominus Jesus in terris voluit ædificatum. Unde si ad solam illam *ovilis* vocem serio attendere velint protestantes, facile errorem suum agnoscent : si enim ovile sit Ecclesia, auctoritas pastoralis ipsi præsit necesse est, ac proinde potestas, tum liturgiam tum cætera statuendi, ad fidelium multitudinem nequaquam pertinet.

2° Ecclesiæ præpositam fuisse a Christo auctoritatem quæ fidelium multitudinem gubernet, constat insuper his Scripturæ verbis : *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hoc textu Petrum declarari rupem fundamentalem Ecclesiæ contra inania heterodoxorum effugia plenissime demonstrarunt doctores catholici. Jam vero non potest aliquis esse fundamentum alicujus societatis, seu rupes super quam solidatur aliqua hominum societas, nisi eo sensu quod potestatem habeat societatem illam regendi.
3° Idem patefaciunt hæc Christi verba : *Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris, etc.* Id enim falsum est, nisi fideles a Petro pendeant ut cælum ingredi possint; porro hoc ipso auctoritati Petri fidelium multitudo regenda subjicitur. Eos vero textus non de solo Petro esse intelligendos, sed permanentem Ecclesiæ formam exprimere, et sensus obvius, et tota a primis Ecclesiæ exordiis traditio et universalis fides testatur.

4° Christus apostolis contulit potestatem docendi, ita ut omnes tenerentur eorum doctrinæ morem gerere : *Euntes docete... Qui crediderit et baptizatus fuerit salvabitur : qui vero non crediderit condemnabitur... Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit.* Ibi certe aliqui homines constituuntur, quibus docentibus quid ad salutem consequendam credere et agere necesse sit, cæterorum multitudo obedire teneatur. Et hoc quidem non modo transitorio, sed *usque ad consummationem sæculi* constituitur. Ergo ex institutione Christi, neque definiendi dogmatis,

neque statuendæ disciplinæ potestas penes fidelium multitudinem residet. 5° At prorsus aperti sunt Scripturæ textus qui testantur apostolos non ex collectis multitudinum suffragiis, sed auctoritate sua dogmata tenenda et præcepta servanda determinasse : *Perambulabat autem* (Paulus) *Syriam et Ciliciam, confirmans ecclesias, præcipiens custodire præcepta apostolorum et seniorum* (Act. 15, 41). *Cum autem pertransirent civitates* (Paulus et Silas), *tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab apostolis et senioribus qui erant Jerosolymis* (Act. 16, 4). *Reliqui te Cretæ ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros sicut et ego disposui tibi* (ad Tit. 1, 5). *Adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus* (ad Timoth. 5, 19). Ex his textibus patet ab apostolis ita intellectam fuisse Ecclesiæ constitutionem, ut fidelium multitudini non gubernandi auctoritas, sed parendi obligatio competeret.

II. Ast etiamsi Scripturarum apertissimum sensum subtilitatibus aliquo modo obfuscare possent protestantes, remanet factum omnino ineluctabile, quo erroris convincantur, forma nempe quam statim ab exordiis et perpetuis postea sæculis exhibuit Ecclesia. Supponi enim nequit Ecclesiam statim ab initio, et quasi e manibus divini fundatoris sui egrediendo, deturpatam fuisse, et in transversum actam, a veræ et legitimæ sponsæ Christi ratione defecisse. Alioquin insipiens architectus Christus, cujus ædificium tam cito corruisset; et fallax ejus promissio, qua sic apostolis spopondit : *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Fatendum ergo, neque id negant protestantes, eam veram esse formam Ecclesiæ a Christo inditam, quam præ se tulit prioribus post Christum temporibus. Jam vero interrogentur historiæ monumenta, et quænam fuerit forma hæc sive constitutio testentur. Ubique nempe occurrunt ecclesiæ ab Episcopis gubernatæ, legesque ab Episcoporum cœtibus sancitæ. Legatur historia ecclesiastica Eusebii et Socratis;

pervolvantur monumenta in primo volumine conciliaris suæ collectionis a Mansio congesta; et videant protestantes an non singulæ fere paginæ clament, initia Ecclesiæ gubernantium prælatorum et gubernatorum fidelium formam exhibuisse.

Ergo falsum est potestatem gubernativam ad totam fidelium collectionem pertinere; ergo ruit omnino principium ex quo protestantes fidelium multitudini attribuunt supremum jus liturgicum.

§ II.

Expenditur in seipso et falsum probatur protestanticum systema, quo supremum jus liturgicum fidelium collectioni tribuitur.

Jus supremum constituendæ liturgiæ est simul jus decernendi de fide, religionemque præscribendi et imponendi. Id sequitur ex prima hujus tractatus Parte; atque idem cæteroquin fatentur graviores ex protestantica secta scriptores. Dum enim principibus temporalibus id potestatis denegant, ea potissimum ratione utuntur, quod, concessa ipsis in liturgiam suprema auctoritate, in cæsaro-papiam lapsus fiat. Si imperio civili hujusmodi tribueretur prærogativa, ait Pfaff, *princeps qua talis posset subditis suis religionem imponere et injungere quamcumque vellet; id quod, ut quivis videt, manifestam in conscientias tyrannidem, manifestam cæsaro-papiam involveret* (Pfaff, Jus eccles. c. 7, de liturgiis, confessionibus, etc.) Atqui ratio illa, quam merito urgent protestantes ut principem a suprema in liturgiam potestate legislativa excludant, non minus valet ad excludendam ab eadem potestate fidelium multitudinem.

Etenim cum semper verum remaneat jus præscribendæ liturgiæ, esse simul determinandæ fidei potestatem, debent protestantes, ut sibi constent, multitudini seu majori numero fidelium tribuere jus præscribendæ et injungendæ religionis. Porro id concedere nequeunt, quin totum ho-

dierni protestantismi fundamentum diruant. Jamdudum enim protestantes ad id devenere, ut tanquam fundamentale principium admitterent, unumquemque fidelem, quoad suam fidem et symbolum, seu quoad modum intelligendæ et profitendæ religionis, non ab alia pendere regula quam a *sensu suo privato;* id est, ab inspiratione particulari et immediata quam ipsi Scripturas legenti infundit Dei spiritus. Jam vero si ad collegium fidelium pertineat determinare dogma et religionem præscribere, non licebit cuique sensum suum privatum sequi, nisi prius eum contulerit et conformem repererit cum sensu communitatis. Ergo legem credendi faciet sensus communitatis seu majoris numeri membrorum Ecclesiæ, non autem *sensus* cujusque *privatus;* ergo *sensus privatus* non erit vera regula fidei; ergo ruit a fundamento et erroris convincitur modernus protestantismus.

Præterea præfata potestas determinandæ religionis, fidelium collectioni attributa, intelligi hoc sensu deberet, quod admisso per pluralitatem suffragiorum aliquo fidei articulo, tenerentur ex conscientia cæteri pauciores numero articulum illum, qui ipsis falsus videretur, toto corde credere. Porro si fundamentali protestantium principio, doctrinæ scilicet sensus privati repugnet, etiam unico homini imponi ab auctoritate quacumque ipsi extrinseca aliquid credendum, a fortiori repugnabit integros populos cogi ad recipiendum aliquod fidei symbolum, eo quod in comitiis generalibus, pluralitatem votorum pro rejiciendo illo symbolo non obtinuerint.

Præterea si vere ad collectionem fidelium pertineret jus præscribendæ et injungendæ religionis, deberent statim protestantes ad Eclesiam catholicam migrare. Nam fidelium collegium, ut sit completum, constare debet christianis omnibus qui Scripturarum divinitatem admittunt, qui in Christum credunt et salutis suæ æternæ solliciti sunt. Ii enim omnes, juxta protestanticam doctrinam, sub fidelium

nomine veniunt. Porro de hoc fidelium numero sunt etiam catholici; atque adeo, cum de efformandis generalibus fidelium comitiis agitur, etiam ipsi numerandi sunt. Jam vero perpendamus quid eventurum fuisset, si paulo post Lutheri prædicationem interrogatus fuisset totius fidelium collectionis, hoc modo intellectæ, sensus. Catholici profecto immensam majoritatem conflassent, et nascentem sectam, multo minorem numero, damnassent ut hæreticam. Debuissent ergo hujus temporis protestantes, vi potestatis quam habet (ut volunt) fidelium collectio in præscribenda religione, sectam suam abjurare et ad relictam fidem catholicam redire.

Sed et idem adhuc hodie vi prædictæ rationis deberent exequi. Si enim interrogetur hodierna fides uniuscujusque sectæ protestanticæ, et simul catholicorum omnium, dubium non est quin symbolum catholicum plures adhærentes habeat, quam formula fidei cujuscumque protestanticæ sectæ.

Adde impossibile in praxi esse ut fidelium omnium collectio, quidquam circa fidem et religionem determinet et præscribat. Nam ad id necesse esset ut certo constaret de cujusque viri et cujusque mulieris sensu circa articulum definiendum. Porro id obtineri nequit neque per modum integræ coadunationis, neque per modum deputationis. Non per integra comitia, ut patet; non enim volent neque physice unquam poterunt omnes ex toto orbe christiani in locum comitiorum migrare atque ibi deliberare. Sed neque per modum deputationis. In primis enim non obtinebunt protestantes ut catholici suos deputatos ad ejusmodi coadunationem mittant. Nec id a suis omnium regionum sectis obtinebunt. Ast etiamsi totius orbis protestantes deputatos mitterent, recipiendi hi deputati non essent tanquam veri testes sensus et doctrinæ eorum a quibus mitterentur. De unoquoque enim puncto in comitiis deliberato non interrogatus fuisset quisque fidelis nec suam inspirationem pri-

vatam deputato testatus fuisset. Et tandem si quando summis conatibus hoc fieri posset, at certe nunquam hucusque factum est; unde in incertum de omni doctrina et disciplina fluitare deberent protestantes, donec plena hujusmodi comitia coadunassent. Ergo non tantum falsum multipliciter probatur jus illud collectioni fidelium attributum, religionem et disciplinam ecclesiasticam præscribendi et injungendi; sed chimericum et absurdum est posse res sacras a toto fidelium collegio determinari.

Tota autem hujus paragraphi disputatio sic paucis resumi potest : 1° Fidelium multitudini competere nequit jus determinandi liturgiam, quin simul ipsi competat determinandæ fidei et religionis imponendæ potestas : hoc ipsa demonstrat liturgiæ natura, et ultro admittunt præclariores ex protestantibus scriptoribus. 2° Si ad multitudinem seu ad majorem numerum fidelium pertineat fidem et religionem præscribere, actum est de doctrina *sensus privati*, quatenus unica credendi regula. 3° Si falsa et deserenda sit *sensus privati* doctrina, totus ruit et erroris convincitur hodiernus saltem protestantismus, qui non alio quam prædicti *sensus privati* fundamento nititur.

Unde ne minima quidem apud protestantes statui potest absque contradictione circa liturgiam regula. Si agatur, verbi gratia, de celebranda re eucharistica, aliqua certa forma necessario utendum erit. Jam vero quis eam formam decernet? An minister? Ergo minister fidem et religionem poterit injungere; ergo minister in Papam erigitur. An collectio fidelium qui ministrum aliquem in sacrum ministerium deputarunt? Ergo minimus ille cœtus qui ministrum deputat, jus habebit præscribendæ religionis et Papam agendi; nec cuique privato remanebit jus *liberi examinis*, nec ei unica regula erit *privatus sensus*. Quocumque se vertant protestantes, in papismum incidunt; ast erroneum, illegitimum, ridiculum.

CAPUT III.

SUPREMUM JUS LITURGICUM NON PERTINET AD SÆCULARES PRINCIPES.

Cum supra, capite primo, suprema in liturgiam potestas Romano Pontifici vindicata fuerit, satis hinc probatum remaneret eam ad imperium civile non pertinere. Non tamen abs re erit directis etiam probationibus confutare varia systemata, quæ jus liturgicum in principis temporalis manus transferre conantur.

Propositio 1ª. *Suprema regendæ liturgiæ potestas ad principem temporalem non pertinet jure majestatico, in sensum systematis territorialis protestantium.* — Nam si princeps temporalis jure proprio et independenti posset liturgiam determinare et præscribere, posset totum cultum externum, ac proinde symbola et profitendæ fidei formulas injungere; et tenerentur ex conscientia ejus subditi religionem profiteri iis ritibus, formulis et symbolis, quæ pro arbitrio constituisset princeps. Imponendæ ergo et definiendæ religionis potestas ad principem temporalem pertineret. Atqui hujusmodi deliramentum aperte contradicit Scripturis, quæ profecto tradunt non temporalibus principibus a Christo commissam fuisse potestatem docendi populos, atque ipsis fidem tenendam præscribendi, sed apostolis: *Euntes docete omnes gentes; docentes eos servare omnia quæcumque dixi vobis.* Nec minus systema illud priorum sæculorum traditioni et fidei universali contradicit. A sacerdotio enim rem sacram; a Cæsare vero temporalem esse gubernandam, tota exordientis Ecclesiæ monumenta et praxis clamant. Et tandem Papam esse in suo quisque dominio temporalem principem, ante protestanticum Bœhmeri systema, nullus unquam somniaverat. Unde systema istiusmodi, protestantium cæteri cum Mosheimio et Pfaffio non

sine indignatione explodunt, utpote quo recideretur in papismum, huncque non legitimum, sed absurdum et ridiculum.

Propositio 2ª. *Suprema regendæ liturgiæ potestas ad temporalem principem non pertinet quatenus ipsi ab Ecclesia tradita, in sensum systematis collegialis protestantium.*—Collegialis systematis patroni imperio civili, qua tali, denegant jus quodlibet in disciplinam ecclesiasticam, atque adeo in liturgiam; contenduntque jus illud esse penes collegium seu collectionem fidelium. Cum vero potestas hujusmodi a fidelibus ipsis exerceri non possit, asserunt eam a collegio fidelium principi temporali quoad exercitium fuisse commissam. Cujus systematis falsitas sic breviter demonstrari potest: Multitudo seu collectio fidelium non potuit principi exercendam tradere seu concedere potestatem quam ipsa non possidet; atqui supra in secundo capite probavimus ad multitudinem fidelium minime pertinere supremam in sacra potestatem; ergo potestas hæc ex concessione multitudinis, seu ex jure collegialitatis, non potuit in principes temporales transfundi.

Propositio 3ª. *Suprema regendæ liturgiæ potestas ad principem temporalem non pertinet, eo quod liturgia tangat interesse temporale societatis, et princeps independenti auctoritate regere possit quidquid rem temporalem tangit.*—Hic confutandus occurrit gallicanismus parlamentarius, qui præcipuo hoc fundamento nititur, principem esse *omnino independentem* in regenda re temporali, et hanc independentiam stare non posse, nisi de iis etiam rebus ecclesiasticis, quæ statum civilem aliquo modo attingunt, possit definitive pronuntiare.

Non tantum gravissimus, sed et periculosissimus ac seductione plenus est ille regalistarum error. Nam gallicanismi moderati systema, ut infra videbitur, facile confutatur, vel potius ex intrinseca et manifesta contradictione, systematis etiam nomen non meretur. Ast gallicanismi

parlamentarii sophisma, nisi penitius introspiciatur, non caret aliqua verisimilitudine, qua incautas mentes in partes suas trahat. Falsitas autem tota latet sub ambiguitate hujus propositionis, *ab Ecclesia independens est temporalis potestas*. Quæ quo sensu vera sit, quo sensu falsa, expendamus.

1° Duplex distingui potest et revera reperitur potestatum ad invicem independentia : quoad *proprietatem* nempe, et quoad *subordinationem*.

2° Quando aliquis potestatem exercet, non suam et sibi propriam, sed alterius qui eum tanquam ministrum elegit et constituit, potestas hæc quamvis ministro eam exercenti vere competat, non tamen est ipsi propria, seu non est quoad proprietatem independens. Talis est, verbi gratia, potestas gubernatoris provinciæ a rege constituti. Gubernat nempe auctoritate regis, non auctoritate propria; unde relative ad regem, gubernator ille non gaudet potestate *quoad proprietatem* independente.

Quando vero quis potestatem habet quam ab altero non accepit ministerialiter exercendam, et quam iste alter vocare non potest suam, potestas hæc relative ad istum alterum est independens *quoad proprietatem*. Sit in exemplum potestas patrisfamilias relative ad regem : quædam jura quæ patrifamilias in uxorem et filios competunt, non ipsi a rege ministerialiter exercenda tradita sunt; sed ea jura paterfamilias aliunde quam a potestate regia accepit; a lege nempe naturali et divina. Unde paterfamilias relative ad regem potest vocare jura illa *sua*, et sibi vindicare hanc potestatem tanquam sibi propriam; unde potestas hæc a rege independens est *quoad proprietatem*, licet independens non sit quoad subordinationem, ut modo dicetur.

3° Potest aliqua potestas, licet ab alia quoad proprietatem independens, non esse tamen independens quoad subordinationem. Supponamus Deum immediate per seipsum rem politicam duorum populorum confinium constituisse;

et uni præfecisse regem A, alteri vero regem B; ea tamen lege ut rex B, in iis quæ tangunt interesse regis A, nihil absque ejus consensu decernere possit. Id absolute possibile esse negabit nullus. In hac porro hypothesi ambo reges essent quoad potestatis *proprietatem* mutuo independentes : neuter enim potestatem suam regiam tanquam minister alterius exerceret, sed jure proprio, a Deo scilicet immediate accepto. Et tamen rex B non esset a rege A in omnibus *quoad subordinationem* independens, cum absque ejus consensu non posset ea decernere quæ interesse vicini gubernii attingerent.

Quod autem ibi supposuimus, verificatur in potestate patrisfamilias relative ad potestatem civilem. Quamvis enim paterfamilias jus aliquod regendæ et administrandæ familiæ sibi proprium habeat, tenetur tamen illius juris exercitium justis legibus auctoritatis civilis accommodare. Licet, verbi gratia, jus habeat filios suos regendi, non tamen potest impedire ne sub vexillis, justa principis lege vocati, militent. Cum enim Deus velit stare civilem ordinem, vult hoc ipso jura patrisfamiliæ huic ordini, quantum necesse est ad civilis gubernii legitimum finem, subordinari. Unde relative ad regiam potestatem, jus patrisfamilias est independens quoad proprietatem, non autem quoad subordinationem.

4° Hinc jam concludi potest ex *distinctione* duarum potestatum minime concludi posse mutuam sub omni respectu *independentiam*. Nam quando duæ potestates non sunt independentes ab invicem *quoad proprietatem*, verum est eas non esse proprie distinctas; cum enim una non sit nisi minister alterius, non duas, sed unam, stricte loquendo, potestatem efficiunt; sic rex, et ipsius minister, ad gubernandam regis nomine et auctoritate aliquam provinciam deputatus, pro una et eadem potestate accipi solent. At vero quando utraque potestas ab altera quoad proprietatem independens est, vere distinctæ sunt, et tamen fieri potest ut uni altera

subordinetur, Ergo ex distinctione falso concluderetur quoad subordinationem independentia.

5° Deveniamus nunc ad palmare et plenis buccis toties proclamatum gallicanismi parlamentarii principium, atque illud omni ambiguitate spoliemus. *Ab ecclesiastica potestate*, aiunt, *prorsus independens est civilis potestas*. Respondemus distinguendum : *Est independens quoad proprietatem*, conceditur : non enim princeps ecclesiasticus temporalem principem constituit et ipsi tanquam ministro suo rem temporalem regendam commisit; sed Deus utramque ipse potestatem in mundo stabilivit, atque utrique jura sua dedit. *Est independens quoad subordinationem*, ita ut in iis quæ tangunt interesse Ecclesiæ atque finem ipsi proprium non debeat sæcularis potestas subordinari, negatur.

At vero, inclamant, multa habemus in sacris paginis, in traditione, in scriptis Patrum, quæ dictam independentiam adstruunt : — Id est, quibus ambæ potestates asseruntur *distinctæ*, et proprio jure a Deo accepto stantes, et *quoad* hujus juris *proprietatem* independentes, conceditur : id est quibus asseratur civilis potestatis *quoad subordinationem* independentia, negatur.

His prænotatis circa vocis *independentiæ* ambiguum sensum, ad thesis probationem accedamus.

I. — Probatur thesis, ex eo quod ambæ potestates nequeant esse quoad subordinationem independentes, et regalistæ non probent ecclesiasticam fuisse civili subordinatam.

Duæ scilicet potestates, quantumvis quoad proprietatem seu proprium jus vere independentes, si exerceri debeant circa easdem personas et res (licet sub diverso respectu et ad diversum finem), non possunt esse ambæ independentes quoad subordinationem; sed una alteri subordinetur necesse est. Nam si utraque supponatur prædicto sensu independens, neutra poterit ordinare res, quæ ambas potestates tangunt,

quin alteri injuriam faciat. Sit in exemplum persona quæ simul utrique potestati subjiciatur; verbi gratia, civis qui simul sit Episcopus : quatenus civis principi temporali subditur; et posset princeps, si vir ille civis tantum esset et non Episcopus, eum ad vexilla vocare et in varias regiones ad militandum compellere. Item quatenus sacerdotii culmine insignitus, subditur potestati ecclesiasticæ; et, si foret tantum Episcopus et non civis, posset Papa eum ad residentiam in sua diœcesi cogere. Jam vero si neutra potestas supponatur alteri subordinata quoad virum illum, non poterit una jus suum in talem virum exercere, quin injuriam alteri inferat : nam si princeps virum illum ad militiam abducat, dicendo eum esse civem suum, lædet jus Papæ eumdem cogendi ad residendum in sua episcopali sede : si vero Papa eum retineat episcopali muneri vacaturum, lædet jus principis ad militiam vocandi quemcumque civem suum. Ergo neutra potestas poterit sese circa talem virum exercere legitime, seu sine injuria alterius; sed potestas quæ non potest agere legitime, non tantum non est potestas independens, sed nullo modo est potestas; ergo utramque potestatem independentem pronuntiare circa res et personas utrique simul sub aliquo respectu subjectas, idem prorsus est ac dicere tales res et personas neutri potestati subjacere; seu est negare utramque potestatem circa dictas res et personas. Ergo admittere circa idem materiale objectum duas potestates æque independentes, ita ut neutra alteri subordinetur, est affimare potestates quæ non sunt potestates; seu est aliquid contradictorium in terminis asserere.

Et hanc quidem contradictionem devitat gallicanismus parlamentarius. Independentiam enim illam tribuit tantum potestati civili, cui concludit subjici in his casibus ecclesiasticam. At rem ita esse minime probat nec probare potest. Non probat ex natura ipsa societatis civilis et ecclesiasticæ; nam, nedum societas ecclesiastica instituta sit tanquam me-

dium ad finem societatis civilis obtinendum, societas civilis e contra instituta a Deo æstimanda est tanquam medium ad finem societatis ecclesiasticæ. Ideo quippe Deus voluit homines singulos vitam in terris aliquandiu agere, ut libere et meritorie salutem æternam sibi comparent; quod ut peragere possint, instituit Ecclesiam quæ singulis esset sanctificationis magistra et instrumentum; et hic est finis præcipuus a Deo intentus quoad homines in terris degentes, ut catholicus quisque confiteri debet. Ad hunc autem finem assequendum necessarius est civilis quidam ordo; quia ut homines vacare possint dicto fini religioso, necesse est ut in tuto et in quadam tranquillitate protegatur et conservetur eorum vita temporalis; ad quod efficiendum societas civilis instituta fuit. Ergo cum societates sint inter se sicut proprii eorum fines, concludendum societatem civilem ecclesiasticæ subordinari. Ergo si natura utriusque potestatis inspiciatur, non possunt regalistæ probare subjectionem Ecclesiæ erga civilem potestatem principis.

Nec illud probare possunt ex ulla positiva Dei ordinatione. Textus quidem et facta quædam allegant; at ex iis, ne umbra quidem probationis in sensum suum eruere possunt (ut fuse probamus in tractatu *de potestate Ecclesiæ relative ad societates civiles*). Unde quando sic ratiocinantur : *civilis potestas independens est in tota gubernatione temporali; ergo debet posse ordinare etiam ecclesiasticas res quæ gubernationem temporalem tangunt;* quomodo non vident idem ratiocinium institui posse in favorem potestatis ecclesiasticæ? Dici enim pariter posset : *Ecclesiastica potestas independens est in tota gubernatione spirituali; ergo debet posse ordinare res etiam civiles quæ gubernationem spiritualem tangunt.* Ergo in hac quæstione nihil proficit probasse potestatem civilem esse *independentem* ab ecclesiastica quoad proprietatem seu quoad jura sibi propria. Sed utrum independens etiam sit quoad subordinationem. id est, utrum ipsa ecclesiasticæ, an vero ipsi eccle-

siastica potestas subordinetur, en totius difficultatis cardo. Certum autem est alterutram alteri subordinari, ut ex dictis constat.

II. Subordinari ecclesiasticæ civilem potestatem quoad materias quæ utramque attingunt, rigorose concluditur ex communi doctorum scholæ sententia, ex variis Ecclesiæ definitionibus, ex ejusdem Ecclesiæ praxi, et ex fine utrique potestati proprio. Quas probationes cum fuse alibi evolvamus (in tract. de potestate Ecclesiæ relative ad societates civiles), hic indicandas tantum duximus. Unde semel probata hac *indirecta* potestate Ecclesiæ in rem temporalem societatum civilium, totum ruit regalistarum argumentum, quo liturgiæ legislationem ad principes trahere nituntur, ex ea ratione quod liturgia rem civilem attingat, et princeps, in regenda re civili independens, nulli potestati subordinetur.

III. Si vera esset regalistarum ratiocinatio, sequeretur temporales principes esse in suis ditionibus supremos totius religionis regulatores, seu unumquemque esse in suo territorio Papam. Nam regalistis facile concedimus a plerisque rebus liturgicis statum civilem aliquo modo attingi. Quod, verbi gratia, fideles ad sacrum vel ad concionem in unum locum coeant, non est quid ad tranquillitatem publicam indifferens. Imo eæ etiam liturgiæ praxes quæ maxime indifferentes quoad rem civilem videri possent, eam plus minusve indirecte attingunt; quia ob hujusmodi res liturgicas enasci possunt inter fideles, ac proinde inter cives, aliqua jurgia. Tumultus autem et dissensiones civium, tranquillitatem publicam turbant. Idem dicendum generatim de tota disciplina ecclesiastica; imo et de dogmate, ut satis per se patet. Ergo, si valeat ratio quam urgent regalistæ, poterit princeps de his omnibus, utpote quæ aliquo modo rem civilem attingunt, definitive pronuntiare; ergo poterit totam religionem in suo territorio determinare; ergo agnoscendus erit ut verus in suo regno Papa. In quam revera

insanam conclusionem, de qua ipsi erubuere protestantium multi, coguntur regalistæ, non tantum theorice, sed etiam in praxi, prolabi, nisi principium a quo exordiuntur deserant, et sibi ipsis aperte contradicant. Et cum, juxta ipsos, id principi competat jure majestatico, non autem ex facultate ipsi ab Ecclesia concessa, sequitur regalistarum opinionem, quoad rem recidere in territoriale Bœhmeri systema a Mosheimio et Pfaffio explosum.

Quod autem systema illud aperte erroneum sit, apud catholicos dubium esse nequit. Nam de fide est et ab œcumenico concilio Florentino definitum Romano Pontifici a Christo datam fuisse *plenam potestatem* regendi, pascendi et gubernandi *universalem Ecclesiam;* quod falsum profecto esset, si dogmatis et disciplinæ determinatio a singulis principibus penderet. Imo sequeretur peccasse apostolos dum religionem christianam ubique prædicarunt et introduxerunt. Id enim fecerunt invitis principibus temporalibus, et introductio hujusmodi statum civilem hujus temporis vehementer attingebat et in multis immutabat. Ergo ex ratione independentiæ potestatis civilis, ipsi perperam attribuitur potestas legislativa circa liturgiam.

Propositio 4ª. *Potestas legislativa circa liturgiam non competit principi temporali ex eo quod habeat jus cavendi, neque ex eo quod sit protector canonum, neque ex eo quod Ecclesia sit in statu, neque ex eo quod multi principes eo jure usi sint.*—Has etiam ratiunculas movere solent regalistæ ut principi temporali generatim vindicent supremum jus in res ecclesiasticas. 1° Contendunt Papam et Episcopos abuti posse auctoritate sua in detrimentum societatis civilis. Principi porro competere *jus cavendi*, id est, sese defendendi a talibus usurpationibus et abusibus. Id autem a principe recte non posse peragi, nisi ei fas sit cognoscere de decretis et statutis omnibus religionem spectantibus, et ea impedire et annullare quæ nociva existimet. Hinc quamlibet potestatem ecclesiasticam tum circa defi-

nienda dogmata, tum circa constituendam disciplinam et liturgiam, supremæ principis temporalis approbationi et judicio ultimatim subjectam remanere. Respondetur primo retorquendo argumentum : Magistratus civiles regni, et rex ipse, potestate sua abuti possunt; ergo cuilibet subdito fas esse debet cognoscere de omnibus legibus et statutis, a quocumque magistratu aut etiam a rege latis, et ea quæ injusta judicaverit respuere. Respondetur secundo : cavere a definitionibus Ecclesiæ circa fidem, est hæresis; ergo jus hoc modo cavendi non potest ad principem pertinere. Item Ecclesia in sancienda universali disciplina infallibilis est, eo nempe sensu, quod nihil injustum, nihil pravum per legem universalem statuere possit : ergo talis disciplina nunquam esse potest abusiva, nec juris alieni læsiva; ergo princeps non potest habere jus cavendi contra disciplinæ universalis decreta, ex ea ratione quod forte jura regni lædant. Quoad actus particulares pontificiæ auctoritatis, in quibus Summus Pontifex non est infallibilis, cum princeps sit certe subditus Papæ in rebus hujusmodi religionem spectantibus, et Papa sit certe ipsius superior et pastor, principi remanebit jus cavendi quod competit cuilibet subdito erga superiorem suum : quando nempe superioris præceptum est notorie et ex communi virorum competentium sententia injustum, subditus obedire non tenetur : in dubio autem injustitiæ, standum est pro superiore et urget obediendi obligatio. At vero casus ordinationis pontificiæ quæ sit *notorie* et ex communi doctorum judicio injusta, licet absolute possibilis, in praxi tamen est inter chimericas hypotheses reponendus. Ergo jus cavendi a regalistis excogitatum, vi cujus nempe dogmatica et disciplinaria decreta quælibet a judicio et approbatione principis ultimatim pendeant, falsum omnino est, atque hæreticalem et schismaticalem pravitatem recondens.

2° Nec minus insulse principi jus in liturgiam tribuunt titulo *protectoris canonum*. Nam præcipuus et fundamen-

talis circa Ecclesiæ regimen canon, est ille quo Romano Pontifici adseritur *plena potestas universalem Ecclesiam pascendi, regendi atque gubernandi.* Ergo protegere canones, est præcipue et ante omnia efficere, ut prædictam potestatem Romanus Pontifex libere et efficaciter exercere possit. Protectio autem qua princeps impediret ne sese exerat potestas ecclesiatica; et qua sibi potestatem hanc usurparet, est derisoria, et tyrannis potius nuncupanda quam protectio. Præterea ad potestatem ecclesiasticam spectat canones ad disciplinam pertinentes pro temporum et circumstantiarum rationem moderari atque immutare. Qui vero in aliqua regione præpediret hujusmodi potestatis ecclesiasticæ exercitium, non Ecclesiam protegeret, sed opprimeret. Ergo titulo protectoris canonum, tenetur quidem princeps brachii sæcularis auxilium legibus ecclesiasticis præstare; ast simul prohibetur hanc legislationem sibi usurpare et in eam sese immiscere.

3° Neque ad principem pertinet jus in liturgiam et disciplinam, ex eo quod *Ecclesia sit in statu.* Nam ea sententia sancti Optati Milevitani, *statum non esse in Ecclesia, sed Ecclesiam in statu*, apud Patrem illum non eum sensum habet quem ei tribuunt gallicani, ut ex contextu sæpe ostensum est. Præterea falsum est liberum esse cuilibet principi, ut recipiat vel non religionis catholicæ publicum exercitium in suis dominiis; et falsum est pariter eum posse dictæ religionis exercitio non consentire, nisi sub ea conditione, ut hujusmodi exercitium remaneat ipsius arbitrio et regulationi subjectum. Nam Christus ita Ecclesiam suam instituit, ut voluerit eam esse in toto orbe unam et ab uno pastore ubique terrarum regi; ergo hoc ipso voluit ecclesiasticum regimen non posse ab ulla temporali potestate præpediri; ergo princeps qui catholicæ religionis libero exercitio sese opponit, jus divinum et jura subditorum suorum hoc ipso lædit. Hinc per tria priora sæcula, Ecclesia catholica, invitis et persecutione etiam obnitentibus principibus, sese et suum

proprium gubernium ubique stabilivit. Præterea quilibet princeps tenetur sicut cæteri hominum catholicus esse; et jam catholicus, est ovis relative ad supremum Ecclesiæ pastorem; et quatenus talis, tenetur supremam Ecclesiæ auctoritatem agnoscere et ipsi sese subjicere, nedum possit eam sibi usurpare. Et tandem si ita intelligatur *Ecclesiam esse in statu*, ut summa rerum ecclesiasticarum a principe temporali pendeat, jam ut Papa in suo regno agnoscendus erit rex quilibet, et fit in protestantismum lapsus.

4° Neque valent exempla a regalistis adducta, ut probent rem disciplinarem Ecclesiæ penes imperium civile stetisse. Nam licet multa memorentur ab imperatoribus et regibus catholicis circa rem ecclesiasticam decreta, id intentam a regalistis conclusionem minime juvat. Ea scilicet omnia, vel consentiente Ecclesia et suam ad id auctoritatem principibus expresse aut tacite tradente peracta sunt, vel tanquam usurpationes ab Ecclesia minime probatæ habenda sunt.

Propositio 5ª. *Potestas legislativa circa liturgiam non competit principi temporali in casu materiæ mixtæ, quæ magis civilem quam ecclesiasticam rem tangere videatur, juxta systema gallicanismi moderati.* — Gallicanismus parlamentarius, ut supra expositum est, ita asserit potestatis civilis independentiam, ut velit ei subordinari et cedere ecclesiasticam, in omnibus etiam ecclesiasticis materiis quæ rem civilem aliquo modo attingunt. Gallicanismus vero moderatus absolutam utriusque independentiam affirmat, et contendit neutram alteri subjici. Quod postquam posuere tanquam principium certissimum cui firmiter adhærendum sit, mirum in modum torquentur gallicani moderati dum ab ipsis postulatur, quomodo concordabunt duæ potestates circa materias quæ ad utramque simul pertinent. Nam religionis pleræque res statum civilem afficiunt, et vice versa; quod ab ipsis non negatur. Bossuetius quidem vidit nullam posse tradi pro componendis hujusmodi conflictibus certam

et logicam regulam; et ideo respondit Deum provisurum; id est, a solvenda difficultate abstinuit.

At quidam recentiores gallicani putarunt se posse concordiæ regulam tradere, salvo mordicus principio, quod neutra jurisdictio potestatem indirectam in res alterius habeat. Sic inter alios professor cujusdam seminarii Galliæ, cujus tamen doctrinam non nisi discipulorum opera manuscriptam præ oculis habemus : « Lorsqu'il n'y a pas de con-« cert entre les deux puissances, chacune demeure juge de « sa compétence; de même qu'entre deux nations indépen-« dantes et qui n'ont pas de juge commun, chacune est juge « de la délimitation du territoire. Toutefois, ce jugement « est toujours subordonné aux principes de la justice, du « bon sens et même de l'humanité, qui sont les lois fonda-« mentales du droit des gens... S'il s'agit d'une matière dont « le fond appartient à l'une des deux puissances et l'acces-« soire à l'autre, celle-ci doit généralement faire céder ses « dispositions à la première... Lorsqu'il s'agit d'une matière « dont le fond appartient en commun aux deux puissances, « aucune d'elles ne peut, du moins ordinairement, faire « des lois contradictoires aux dispositions déjà prises par « l'autre. Ainsi, par exemple, l'État ne pourrait obliger les « ecclésiastiques aux fonctions du jury, que l'Église leur « défend par ses canons; et l'Église ne pourrait aujourd'hui, « en France, leur interdire de porter témoignage en justice, « parce que c'est un devoir de citoyen auquel ils sont tenus « par la loi civile. Il y a lieu de raisonner ici comme de « l'occupation d'un bien vacant et commun.... Du reste, « dans les cas vraiment douteux, il peut se faire que les « deux puissances, persuadée chacune qu'elle est dans son « droit, ne s'accordent pas. Quelle devra être alors la con-« duite des sujets ?... Hors les cas d'usurpation, il est mani-« feste que les sujets doivent obéir à l'une et à l'autre des « deux puissances autant qu'il est en eux; et s'ils ne le peu-« vent faire, ils doivent préférer les injonctions de celle qui

« a le droit le plus apparent... Si l'une des deux puissances « excède manifestement son droit, les sujets ne sont nulle« ment tenus d'obéir. Mais hors ce cas d'incompétence évi« dente,... si les injonctions des deux puissances sont telle« ment opposées qu'elles ne puissent être observées en même « temps, les sujets doivent obéir de préférence à celle dont « ils jugeront le droit plus probable. » (Cours de droit canonique, 3e dissert., art. 4, 6e question : *Quels sont les moyens de terminer les conflits touchant la compétence des deux puissances?*)

Vix intelligi potest quomodo gallicanos moderatos hujusce systematis contradictio et falsitas fugerit. Nam ex una parte supponunt ambas potestates habere verum et plenum jus in rem unam atque eamdem; aliunde autem, dum sustinent neutram alteri subjici, jus illud ad nihilum reducunt; siquidem neutra potest sine injuria alterius de re illa disponere. Quod ut exemplo magis pateat, expendamus quemnam sensum habere possit hæc propositio : *Talis domus tota pertinet ad Petrum, et tota pertinet ad Paulum ; et Petrus non tenetur eam cedere Paulo, nec vice versa.* Hujusmodi propositio profecto æquivalet isti : *Talis domus neque ad Petrum neque ad Paulum pertinet;* siquidem neuter potest sine injustitia illam sibi usurpare. Idem porro est dicendum de materia qualibet mixta, quæ scilicet ad utramque simul potestatem pertinet : si neutra potestas quoad rem illam teneatur alteri cedere, neutra poterit sine injustitia de re illa disponere. Ergo jus utriusque æquivalebit nulli juri. Ergo res pertinebit et non pertinebit simul ad utramque potestatem. Ergo ipsamet hypothesis duarum potestatum circa eamdem rem, ita independentium ut neutra alteri subordinetur, repugnantiam et apertam contradictionem involvit. Quæ repugnantia potest etiam figurate exprimi per legem physicam duarum virium perfecte æqualium et in sensum oppositum corpus aliquod sollicitantium ; cum neutra vis alteri cedat, nullum

omnino effectum producere possunt, et æquivalent perfectæ negationi virium.

Præterea repugnat Deum insipienter potestates hujus mundi ordinasse; atqui insipienter ordinasset, si ecclesiasticæ et civili potestati jus in res easdem tribuisset ita æquale et independens, ut neutra alteri cedere deberet. Nam etiam legislator humanus pro insano habetur, quando duas jurisdictiones diversas circa res easdem constituens, non prædeterminat quænam in casu conflictus alteri cedere debeat. In Gallia, verbi gratia, præfectus civilis provinciæ (le préfet), et præfectus militaris (le général commandant le département), jurisdictiones diversas habent, et quidem in res easdem, verbi gratia, circa carceres, circa motus populares sedandos et alia hujusmodi. At licet istæ duæ jurisdictiones sint mutuo independentes, lex prædeterminavit quænam alteri locum dare debeat quando agitur de rebus ad utramque sub diverso respectu pertinentibus. Et nisi lex id prævidisset et præordinasset, insana merito ab omnibus diceretur. Ergo pariter, imo et a fortiori, insipienter egisset Deus, si ambas potestates, civilem nempe et ecclesiasticam, eo modo ordinasset quo volunt gallicani moderati.

Hinc merito systema illud gallicanismi moderati, tanquam manichæismi errore infectum exhibetur in bulla *Unam sanctam* Bonifacii VIII. Nam in eo errabant manichæi, quod supponerent duo prima rerum omnium principia, perfecte independentia, viribus æqualia, ac sibi invicem opposita; ita scilicet ut neutrum ab altero vinci posset. Porro ea supponitur conditio ecclesiasticæ et civilis potestatis in systemate gallicanismi moderati. Cum enim neutra alteram ad sibi cedendum *jure* cogere possit, in rebus ad ambas simul pertinentibus, remanet statuta æterna pugna; seu potius in praxi, cum Ecclesia vi militari plerumque careat, qua imperium civile ordinarie pollet, remanet Ecclesiam perpetuis guberniorum temporaliun violentiis subjici, et sic schismatibus et hæresibus januam perpetuo pandi.

Cæterum eamdem manichæismi notam prædicto systemati inurunt regalistæ seu gallicanismi parlamentarii sequaces; quam censuram et nostris temporibus iteravit Dupin (cameræ legislativæ præses). Viderunt enim viri illi quam absurdum esset neutram potestatem alteri subordinari. Errarunt autem concludendo civili subjectam dici debere ecclesiasticam. Qui error merito quidem gallicanos moderatos perterruit; at quod ipsi substituunt, minus certe logicum videtur et apertius erroneum.

Falsitatem sui systematis advertere etiam possunt gallicani moderati, ex consectariis quæ ipsimet coguntur admittere. Ad hanc enim conclusionem deveniunt : *Si les injonctions des deux puissances sont tellement opposées qu'elles ne puissent être observées en même temps, les sujets doivent obéir de préférence à celle dont ils jugeront le droit plus probable* (loco supra citato). 1° Quidem tali conclusione sibi contradicunt gallicani moderati : nam exordiuntur ab hoc principio, *certissimum* esse jus utriusque potestatis in materiam mixtam; et postea cuique privato judicandum ultimatim relinquunt, quænam potestas (in casu conflictus) habeat jus magis aut minus *probabile*. Si *certissimum* est et plane independens jus utriusque (hoc ipso quod materia sit mixta), quomodo jus idem dicitur simul tantum *probabile*, et tanquam plus minusve *probabile* relinquitur subditorum judicio expendendum? 2° Quomodo ausus est vir catholicus pro supremo tribunali ad decernenda jura, tum Ecclesiæ, tum civilis imperii, privatum cujusque judicium statuere? Ergo quando Summus Pontifex, vel concilium œcumenicum, lege universali aliquid disciplinæ in tota Ecclesia decreverit, ad sensum privatum cujusque pertinebit decidere, an valeat lex illa necne? Hoc si ita sit, jam non singuli fideles a supremo Ecclesiæ regimine et judicio pendent, sed e contra Ecclesiæ judicia et decreta supremæ cujuslibet privati sententiæ subjiciuntur. Id quidem concordat cum hæreticali doctrina

sensus privati apud protestantes admissa; ast a doctrina catholica prorsus alienum est. Nec minus subversivum est auctoritatis civilis, eam subjicere privato cujuslibet subditi judicio; ita ut possit quisque huic auctoritati resistere, eo ipso quod ipsi *probabilius* videatur decretum civile injustum esse. — Ast, inquiunt, hanc regulam tradimus, quia ex hypothesi impossibile est utrique simul obedire. — Si impossibile sit utrique obedire, quomodo non videtis impossibile esse, ut utraque jus habeat de re eadem contradictorie decernendi? Non enim dari potest jus exigendi impossibilia. Si autem utrique non competat verum jus contradictorie de materia mixta decernendi, ergo alterutra tantum jus illud habet, et altera ei cedere debet. Cæterum vos ipsi subordinationem illam cogimini admittere, et revera in præfata vestra regula admittitis: nam liberum cuique facitis ut alterutri tantum potestati obediat, et alterius jussa postponat. Porro quilibet privatus dum ita agit, ipse unam potestatem alteri subordinat, siquidem unius mandatum servat, alterius pro nullo habet. Unde subordinationem ambarum potestatum ultimatim non vitatis, sed eam constituitis juxta privatum cujusque sensum. 3° Sed dum hoc modo difficultatem solvere conamini, minime de facto solvitis: nam, cum sensui cujusque privato relinquatis decidendum cuinam potestati (in casu contradictoriæ ordinationis) obediendum sit, et in rebus hujusmodi alii alio modo sentire soleant, alii pro civili auctoritate stabunt, alii vero pro ecclesiastica; et sic remanet pugna, conflictus et inextricabilis confusio. Præsertim cum semper salvum velitis vestrum principium de independentia utriusque potestatis absque ulla unius ad alteram subordinatione: poterit namque, juxta illud principium, princeps temporalis punire eos qui maluerunt Ecclesiæ obtemperare; et Ecclesia poterit excommunicare et extra sinum suum ejicere eos qui in partes civilis imperii abierunt. Atque ita agendo, utraque potestas, juxta vestrum principium, jure suo utetur, quia

in materiam mixtam utraque verum jus habet, et omnino ab altera independens.

Et tandem prædictum gallicanismi systema contradicit decreto Sacræ Congregationis Propagandæ diei 2 octobris 1673, a Clemente X confirmato die 4 octobris ejusdem anni. Ibi enim decernitur bullas Summorum Pontificum in Indias missas, aut in posterum mittendas vim obligandi quoscumque habere, *absque consensu ullius personæ, dignitate etiam regia præfulgentis;* et prohibetur omnibus, etiam Episcopis et Archiepiscopis, ne contrarium publicare audeant :

« Sacra Congregatio propagandæ fidei decrevit : ut per præ-« sentes litteras, omnibus cujusvis status et conditionis, sive « laicis sæcularibus aut regularibus, etiam Societatis Jesu, « sive etiam Episcopis, Archiepiscopis et quacumque digni-« tate ecclesiastica decoratis, declaretur et significetur quod « bullæ SS. Pontificum in Indias jam missæ, et in pos-« terum mittendæ, ex se vim habeant obligandi quos-« cumque, absque consensu ullius personæ ecclesiasticæ vel « sæcularis quocumque titulo et dignitate, etiam regia, « præfulgentis; prohibet omnibus cujuscumque status et « conditionis, sive laicis sæcularibus aut regularibus, etiam « Societatis Jesu, Episcopis, Archiepiscopis et quacumque « dignitate decoratis, ne in posterum, per se vel per alios, « audeant publicare pontificias bullas absque Regis aliarum-« que personarum consensu non obligare. Quod decretum « approbavit Clemens X, 4 octobris 1673. » (Ex compendio excerpto e plurimis Summorum Pontificum constitutionibus, Sacrarumque Congregationum decretis ad usum vicariorum apostolicorum, Lutetiæ Parisiorum, anno 1837, part. 1, cap. 1, p. 5.) Porro juxta systema gallicanismi moderati, in materiis mixtis circa disciplinam, generaliter dici non posset per bullas pontificias obligationem induci absque regis consensu; et falsum pariter esset per eas bullas *quoscumque* obligari, siquidem juxta dictum systema non obli-

garetur, neque rex, neque subditi qui judicarent rem mixtam, de qua decernit bulla, potius ad principis forum pertinere. Et notetur prædicti decreti scopum fuisse frangere regiæ Portugalliæ curiæ molimina, quibus in suis Indiarum ditionibus bullarum pontificiarum executioni (principia gallicanismi obtendens) obsistebat.

Concludendum ergo, potestatem civilem esse quidem ab ecclesiastica distinctam ; et jure proprio, a Deo manante, non ab Ecclesia accepto, stantem ; et hoc sensu vere independentem : ast in rebus quæ finem Ecclesiæ proprium et spirituale animarum bonum tangunt, potestati clavium imperium civile subjici. Quod Ecclesiæ in rem civilem jus *indirectum,* nedum potestati temporali noceat, ipsi plurimum confert firmitatis et veræ gloriæ. Id autem quod princeps propter *indirectum* hujusmodi jus Ecclesiæ cedere debet, est idipsum quod non posset princeps per seipsum exercere absque populorum catholicorum perturbatione, et sui ipsius discrimine ; imo id sibi vindicare princeps nunquam poterit quin sese ridiculum faciat, populis invisum, et erga supremum regem Christum in multis reum.

Jus autem illud indirectum Ecclesiæ, ex professo probamus in alio tractatu (nempe *De potestate Ecclesiæ erga societates civiles*).

Ergo, ad liturgiam quod attinet, rejiciendum est systema gallicanismi moderati, quo jus aliquod liturgicum principi tribueretur quando materia est mixta.

CAPUT IV.

POTESTAS LEGISLATIVA IN LITURGIAM NON PERTINET AD EPISCOPOS ET PRÆLATOS, INDEPENDENTER A ROMANO PONTIFICE.

Nam supra, capite primo, probatum est Romano Pontifici competere supremum jus liturgicum in universali Ecclesia.

Porro jus illud supremum non esset, si posset quisque Episcopus, independenter a sede Apostolica liturgiam in sua diœcesi ordinare.

Præterea liturgiæ ordinatio est actus jurisdictionis; atqui jurisdictio cujuslibet Episcopi et prælati subjacet Romano Pontifici; qui, utpote habens primatum jurisdictionis, id est, primariam et superiorem jurisdictionem in toto mundo, potest jurisdictionem Episcopi in ipsius diœcesi ita determinare, ut sibi quæ opportuna visa fuerint ordinanda reservet. Ergo Episcopus nonnisi dependenter a Papa liturgiam ordinare in sua diœcesi potest. Præterea liturgia, ut supra in prima parte probatum fuit, est ex natura sua expressio et publica professio religionis et fidei. Porro supremum jus definiendi fidem et modum illam profitendi ad Papam sive solum, sive in concilio œcumenico, pertinet. Ergo nullus Episcopus poterit nisi dependenter a Romano Pontifice de liturgia decernere.

Et tandem si Romanus Pontifex plenam potestatem habeat universalem Ecclesiam pascendi, regendi atque gubernandi, et Episcopi relative ad supremum hunc pastorem non sint nisi oves, patet supremum jus in disciplinam ac proinde in liturgiam ad sedem Apostolicam pertinere. Non ergo poterit ullus Episcopus jus illud exercere nisi permittente Romano Pontifice, non autem independenter ab eo.

A fortiori autem concludendum est liturgiæ regulationem ad clerum non pertinere independenter ab Episcopis et sede Apostolica.

CAPUT V.

POTUIT EX TACITO VEL EXPRESSO ROMANI PONTIFICIS CONSENSU LITURGIÆ REGULATIO AD SINGULOS IN SUA DIŒCESI EPISCOPOS PERTINERE.

Qui enim supremam habet potestatem legislativam, eam potest vel totam exercere per seipsum, vel eam ex parte

provinciarum magistratibus exercendam permittere. Unde sicut Papa potuit ab exordiente Ecclesia totam liturgiæ ordinationem sibi reservare, ita potuit eam singulis ecclesiarum prælatis regendam committere. Neque ad id necessaria fuit expressa commissio seu delegatio. Hoc ipso enim quod sedes Apostolica leges de hac re non tulerit, aut non nisi partes aliquas liturgiæ decretis suis determinaverit, cætera reliquit Episcopis, servatis tamen generalibus Ecclesiæ regulis, disponenda. Qui tacitus Romani Pontificis consensus, sufficiens fuit ut legitimæ et validæ fuerint prædictæ Episcoporum circa liturgiam ordinationes. Unde quoad supremum jus illud pontificium circa liturgiam, idem dicendum occurrit ac de multis aliis ejusdem sedis Apostolicæ juribus; verbi gratia, de jure eligendorum et ecclesiis præficiendorum præsulum : licet ad Romanum Pontificem omni tempore pertinuerit Episcoporum electio et institutio, potuit tamen sedes Apostolica nominationem hanc vel toti populo, vel clero, vel principibus permittere, et confirmationem concilio provinciali vel patriarchali dignitati concedere.

Præterea ab actu ad posse valet consecutio; atqui de facto per plura sæcula liturgiæ ordinationem, in multis quæ nunc sedi Apostolicæ reservantur, Romanus Pontifex permisit singularum ecclesiarum præsulibus, ut in sequenti parte probamus; ergo supremum jus pontificium circa liturgiam, non necessario excludit Episcoporum in suis diœcesibus potestatem multa circa liturgiam licite et valide statuendi ac præscribendi.

CAPUT VI.

DE SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS POTESTATE, QUATENUS UBERRIMO JURIS LITURGICI FONTE.

Propositio 1ª. *Sacra rituum Congregatio certam aliquam a sede Apostolica accepit, eamque ordinariam, juris in toto orbe de liturgia dicundi potestatem.*—Potuisse a sede

Apostolica alicui cardinalium congregationi ordinariam regulandæ liturgiæ potestatem committi, nemo inficias ibit. Cum enim penes Romanum Pontificem resideat, ut supra probavimus, supremum in universas ecclesias jus liturgicum, liberum profecto illi fuit jus istud vel per se ipsum exercere, vel aliquibus viris cum potestate ordinaria exercendum committere.

De facto autem ita decrevit sedes Apostolica; tribunal nempe, ordinaria potestate circa res liturgicas instructum, erexit. Cujus universalis in hac re jurisdictio ita a Sexto V determinata est : « Quinque itidem cardinales delegimus, « quibus hæc præcipue cura incumbere debeat ut veteres « ritus sacri, ubivis locorum, in omnibus Urbis orbisque « ecclesiis, etiam in capella nostra pontificia, in missis, « divinis officiis, sacramentorum administratione, cæterisque « ad divinum cultum pertinentibus a quibusvis personis dili« genter observentur; cæremoniæ, si exoleverint, restituan« tur; si depravatæ fuerint, reformentur; libros de sacris « ritibus et cæremoniis, inprimis pontificale, rituale, cære« moniale, prout opus fuerit reforment et emendent; officia « divina de sanctis patronis examinent, et Nobis prius consul« tis concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa « sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebrita« tem... Controversias de præcedentia in processionibus aut « alibi, cæterasque in hujusmodi sacris ritibus et cæremoniis « incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent et « componant » (Bulla *Immensa*, Bullarium Romanum, edit. Cocquelines, lib. 4, part. 4, pag. 365). Ex illis autem verbis patet sacram Congregationem rituum circa multa ad liturgiam pertinentia fuisse revera universali potestate seu jurisdictione instructam. Ille enim universalem habet circa res liturgicas jurisdictionem, qui in toto orbe potest difficultates quoad ritus et cæremonias cognoscere et terminare, libros liturgicos prout opportunum existimaverit emendare et reformare, et ubivis locorum definire quinam tenendus, qui-

namve rejiciendus rituum et cæremoniarum modus. Atqui discrte Sixtus V id potestatis præfatæ Congregationi in dicta bulla confert. Ordinariam autem esse hujusmodi potestatem, patet, tum ex unanimi doctorum id asserentium sententia, tum ex eo quod mortuo Pontifice et vacante Romana sede, perseveret tribunalis illius jurisdictio, quin opus habeat a novo creato Pontifice restitui aut confirmari.

Propositio 2ª. *Decreta generalia sacræ Congregationis rituum, vim legis universalis et conscientiam obligantis habent.*—Notum est dictam Congregationem aliquando procedere per modum *decreti generalis,* aliquando autem per modum *decreti particularis,* id est, ad particularem aliquam ecclesiam aut personam directi. Porro quando priori modo decernit, vim legis universalis hujusmodi decreto inesse negari non potest. Nam, ex superiori propositione, jurisdictionem universalem habet : qui autem tali jurisdictione potitur, legem universalem edicit, hoc ipso quod aliquid universaliter observandum præcipiat. Nec dicatur evenire posse, ut congregatio in decretis suis generalibus potestatis sibi a sede Apostolica commissæ limites prætergrediatur : hujusmodi enim decreta nonnisi conscio et assentiente Romano Pontifice emittit. Ergo dicta generalia decreta pro veris legibus conscientiam obligantibus omnino sunt habenda. Quod cæteroquin declaravit ipsa Congregatio : nam ad dubium, « An decreta sacrorum rituum Congregationis « dum eduntur, derogent cuicumque contrariæ invectæ « consuetudini etiam immemorabili, et in casu affirmativo « obligent etiam quoad conscientiam? — Sacra Congrega- « tio... respondendum censuit : *Affirmative, sed recurren- « dum in particulari.* Die 11 septembris 1847. » (Apud Gardellini, n. 4941, ad 16.)

Propositio 3ª. *Etiam decreta particularia sacræ Congregationis rituum pro regula legitima ab omnibus habenda sunt, modo eorum authenticitatem certo cognoscant, et modo nulla sit ratio aut circumstantia quæ suadeat ea*

restringi tantum ad personas aut ecclesias particulares pro quibus eduntur.—Illa quidem propositio inter doctores aliquatenus controvertitur; at vero rationes quibus propugnatur nobis videntur firmissimæ. Eas, prout a Cavaliero exponuntur, subjicimus : « Habent sacræ rituum Congrega« tionis decreta, ut licet ad particularium personarum « instantias aut quæsita emanata ea sint, ad normam et « exemplum, pro iisdem et aliis similibus casibus, in Eccle« sia universali deserviant, nisi pecularis aliqua adsit ratio « aut circumstantia, quæ decreta penitus particularizet, et « ultra personas vel ecclesias pro quibus emanarunt pro« tendi ea non sinat. Talis est se in sacris ritibus dirigendi « praxis omnium ecclesiarum : talis est sensus omnium « doctorum qui de sacris ritibus vel cæremoniis scripsere. « Et si talis non foret procedendi ratio, vel nulla vel incon« stans nimis ac varia eorumdem sacrorum rituum ac « cæremoniarum exstaret norma ac regula ; cum fere omnia « eorumdem directiva decreta ad instantiam particularium « personarum sint emanata, et admodum perpauca sint « decreta generalia » (Cavalieri, tom. I, pag. 171, edit. Venet. 1758).

« Ad qualitatem resolutionis dignoscendam apprime quo« que bene qualitas dubii propositi deservit » ibi docet Cavalieri responsum sacræ Congregationis intelligendum esse in sensu generali, quando dubium generalibus seu universalibus verbis expressum fuit. Postea objectionibus respondens et rem plenius evolvens, sic pergit : « Dices : « Sacra Congregatio plurima ex suis decretis nominat *gene« ralia ;* ergo quæ generalia non nuncupat, generalia non « erunt, nec universalem obligabunt Ecclesiam, sed solum « particularem ; illam scilicet ad cujus instantias edita sunt... « — Respondeo, quod decreta quæ *generalia* notantur, ge« neralia formaliter sunt ; quæ autem non ita inscribuntur, « generalia quidem formaliter non sunt, bene tamen æqui« valenter, si dubium propositum generaliter exstitit, eique

« non absimilis resolutio prodierit; uti communis consue-
« tudo (quæ est optima legum interpres) in Ecclesia obser-
« vat, dictaque interpretatur decreta. Fert generalem, verbi
« gratia, rubrica posita ante festum Corporis Christi, dis-
« positionem : *Infra octavam Corporis Christi, de simplici*
« *fit tantum commemoratio sine nona lectione* : dubium
« exoritur num hæc rubrica locum etiam habeat quando fit
« officium de duplici infra dictam octavam occurrente; et ex
« parte ecclesiæ Nuscanæ in sacra Congregatione proponitur
« declarari; et hæc sub die 12 septembris 1671 suam exhibet
« responsionem seu decretum, scilicet : *In festo duplici*
« *infra octavam Corporis Christi occurrente, legi debere*
« *nonam lectionem de sancto simplici*. Anno 1693 ex parte
« ecclesiarum Galliæ reproponitur dubium, et iterum ex
« parte ecclesiæ Lyciensis; et eadem Congregatio persistit in
« decisis; *generalia* non quidem appellando hujusmodi de-
« creta, sed eadem denominando ab ecclesiis a quibus dubia
« pro delaratione exhibita fuere, nempe primum *in Nus-*
« *cana*, secundum *in una Galliarum*, et tertium *in Lyciensi*.
« Nunc quæro an hujusmodi decreta *particularia* censeri
« debeant, an vero *generalia ;* ct an in usum dumtaxat
« deduci debeant ab ecclesiis quæ dubium proposuere, an
« vero etiam universim a cæteris? Tu judex esto. Ast nec
« dubito, quod juxta conscientiam judicans, in favorem
« universalitatis decreti pronuntiabis; ita quod, esto decre-
« tum formaliter generale non sit, tale tamen sit æquiva-
« lenter, et ut tale a cunctis debeat observari ecclesiis....
« In decretis emanatis ad pietatem particularium ecclesiarum
« sancitum habetur, quod *quæcumque dies octava B. Mariæ*
« *debet habere integras vesperas in concurrentia cum*
« *officio duplici minori ;* et quod *litaniæ majores si occur-*
« *rant in die Paschatis, transferantur in feriam tertiam*
« *sequentem ;* et tamen hujusmodi dispositiones in brevia-
« rium Romanum, quod pro regula universalis deservit Ec-
« clesiæ, uti rubricæ invectæ fuere, ut videre est in die

« S. Marci, et in octava Assumptionis ejusdem B. Mariæ. « I igitur nunc, et inficiare, si vales, quod decreta ad peti- « tionem particularium emanata, licet *generalia* inscripta « non sint, pro regula generali nequaquam deserviant » (Cavalieri, tom. I, pag. 171, edit. Venet., 1758). « Su- « perest solum videamus cur nonnulla (decreta) *generalia* « notentur : Et id ut plurimum evenit, quia sacra Congre- « gatio motu proprio ea edidit, et non ad petitionem alicujus « particularis ecclesiæ; vel si ad petitionem particularium « ecclesiarium emanant, id unice fit ad importuna resecanda « nonnullorum dubia, qui, cum jam decisa haud ipsis arri- « deant, continuis interrogationibus eamdem Congregatio- « nem lacessere nunquam desinunt; vel denique ut promul- « gentur, et cunctorum notitiæ exhibeantur, qualiter non « evenit in resolutionibus quæ ab ecclesiis, ad quarum « instantias editæ fuerunt, nomenclaturam accipiunt, utpote « quæ solum in ecclesiis eisdem assolent promulgari; licet « postea ex hoc minime fiat, ut universali Ecclesiæ, quoties « innotescunt, non possint, immo non debeant in regulam « deservire » (Cavalieri, tom. I, pag. 172, edit. Venet., 1758).

« Sunt qui irrident hujusmodi decreta sacræ Congrega- « tionis, quorum unum alteri contrarium est, ejusdemque « derogatorium. Verum isti irrideant, fas est, leges tam « civiles quam canonicas; irrideant statuta particularia ac « municipalia, ac constitutiones ipsas pontificias, quarum « aliquæ contrariæ sunt et derogatoriæ priorum. Cum enim « in legum conditione tempus, locus et quamplurimæ aliæ « circumstantiæ inspiciantur, mirum non est si ad earumdem « variationem, oppositæ quandoque leges prodeant ac re- « sponsiones, ac priorum derogatoriæ; quoniam quod bonum « ac utile est, tractu temporis ac mutatis circumstantiis « minus bonum aut inutile non semel evadit. Et licet Patres « illi eminentissimi sapientissimi sint, et non solum per se, « sed etiam per viros peritissimos controversias et difficul-

« tates sibi oblatas resolvant, ac decidant, adhuc posterio-
« ribus temporibus rationes efficaciores eisdem occurrere pos-
« sunt, quæ illos moveant ad concludendum oppositum....
« Si tamen verum fateri debemus, sacrarum Congregatio-
« num responsiones quamplurimæ e diametro contrariæ cir-
« cumferuntur, quæ tamen authenticæ minime sunt, sed
« apocryphæ; et si quæ germanæ sunt, contrariæ persæpe
« apparent, quia secundum verborum corticem tantummodo
« inspiciuntur. Ad hanc contrarietatem tollendam juvat
« quammaxime petitionem seu supplicationem exhibitam
« exacte examinare... Per hæc tamen nos ire inficias nequa-
« quam intendimus, nonnulla dari sibi invicem contraria
« sacræ Congregationis responsa. Utique dantur; sed per-
« pauca admodum sunt; et quæ dantur, valida utique fun-
« damenta habent » (Cavalieri, tom. I, pag. 172, n° 13, edit. Venet., 1758).

Scholium. — Ex dictis facile concludi potest, sacram rituum Congregationem in determinando, declarando atque evolvendo jure liturgico, præcipuas partes obtinere. Nam etiamsi non admittatur ut certa nostra tertia propositio, decreta nempe particularia pro norma universali esse tenenda in similibus casibus, verum saltem remanet pro legibus universalibus habenda esse decreta generalia; et insuper verum etiam remanet decreta particularia vim regulæ habere quoad particulares ecclesias et casus pro quibus eduntur. Jam vero hoc duplici modo tam multa ordinavit atque servanda præcepit dicta Congregatio, ut jam ad octo volumina excreverit earum decisionum collectio, nec ullum fere remanserit majoris momenti dubium, quod non reperiatur jam ab hoc tribunali solutum. Hinc juris liturgici studiosis, non tantum constitutiones pontificiæ, et eorum mandata per rubricas in libris liturgicis expressa, sed etiam authentica resolutionum sacræ Congregationis collectio, quæ Gardelliniana dicitur, perpetuo manibus versanda.

Advertendum tamen præfatam Congregationem dici non

posse primarium juris liturgici fontem, sed dumtaxat secundarium : legislativam enim circa rem liturgicam potestatem, quantumvis ordinariam, non habet ex seipsa, nec ex jure divino; sed eam ipsi sedes Apostolica libere contulit. Unde et totum robur decretorum hujusce Congregationis, sedis Apostolicæ potestate fundatur.

PARS TERTIA.

DE EXERCITIO POTESTATIS LEGISLATIVÆ IN LITURGIAM, AB ECCLESIÆ EXORDIIS USQUE NUNC, SYNOPSIS HISTORICA.

Dum in secunda hujus tractatus Parte gravissimam expendimus quæstionem *a quo sit* liturgia, vidimus sedi Apostolicæ omnino tribuendum supremum jus liturgicum. At simul ostendimus potuisse Romanos Pontifices jus illud per se ipsos non exercere, et liturgiæ regulationem ordinariis locorum prælatis permittere. Occurrit nunc quæstio *facti;* quomodo nempe de facto sese habuerit legislativæ in liturgiam potestatis, ab exordiente Ecclesia usque nunc, exercitium; id est, quomodo ab initio integrum fere hujusmodi exercitium ordinariis ecclesiarum et religiosorum ordinum prælatis permissum, deinde paulatim restrictum fuerit, et tandem sedi Apostolicæ omnino reservatum. In qua disquisitione historica, summa dumtaxat rerum capita, pro nostri operis intento, perstringemus.

CAPUT I.

STATIM AB ECCLESIÆ EXORDIIS FORMA LITURGIÆ SEU EXTERNI CULTUS UBIQUE DETERMINATA FUIT ATQUE PRÆSCRIPTA : VARIA TAMEN IN ACCIDENTALIBUS PRO VARIIS INITIO FUNDATIS ECCLESIIS.

I. Formam liturgiæ ab ipsis Apostolis determinatam atque præscriptam fuisse probari potest, tum a priori, tum monumentis ecclesiasticis.

Et primo quidem non potuerunt Apostoli non præscribere determinate quæ sunt integritati sanctissimi Eucharistiæ sacrificii, et sacramentorum valori necessaria. Imo in istis liturgiæ essentialibus nec potuit esse nec fuit unquam in ecclesiis catholicis ulla diversitas. Si enim Apostoli hæc clare et determinate non instituissent servanda, ecclesias ab ipsis fundatas exposuissent periculo habendi pro veris sacramentis ritus qui sacramenta non fuissent, et colendi tamquam præsentem Christum, cum tamen, non servatis sacrificii eucharistici conditionibus, præsens minime fuisset.

Sed et multa quæ ad accidentalem et mobilem liturgiæ formam pertinent, ab Apostolis instituta atque præscripta fuisse nullatenus dubitandum est. Cum enim agatur de cultu externo, non a singulis privatim, sed ab omnibus Ecclesiæ cujusque fidelibus socialiter et in communi exercendo, nisi multæ circa hæc accidentalia statutæ fuissent regulæ, omnia fuissent, non sine summo religionis detrimento, confusione plena. Quis non videt debuisse pro fidelium congressibus, pro celebrandis divinis mysteriis, pro solvendis Deo laudibus certas horas constitui? Preces ipsæ et hymni spirituales, cum communes esse debuerint, quis non videt debuisse et formulas aliquas, et aliquem in conveniendo et sedendo ordinem indici? Cumque adorandum sacrificium esset ab Episcopo cum ministris celebrandum

atque eucharisticum pabulum fidelibus distribuendum, quis existimet non determinatum ab Apostolis fuisse quod cuique in re divina explendum officium incumberet? Non ergo in incerto fluitantem rem liturgicam reliquerunt Apostoli, sed ecclesias ab ipsis fundatas, certis formarum et rituum legibus donarunt. Quibus aliæ postea atque aliæ exurgentes ecclesiæ ab Apostolorum discipulis atque horum successoribus instructæ sunt.

Idem autem ex monumentis, licet tam pauca ex prioribus sæculis supersint, directe probari potest.

Sic Tertullianus : « Hanc (1) si nulla scriptura determi-« navit, certe consuetudo roboravit; quæ sine dubio de tra-« ditione (2) manavit. Quomodo enim usurpari quid potest « si traditum prius non est? Etiam in traditionis obtentu « exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus « an et traditio nisi scripta non debeat recipi. Plane nega-« bimus recipiendam si nulla exempla præjudicent aliarum « observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento, « solius traditionis titulo, et exinde consuetudinis patroci-« nio vindicamus. Denique ut a baptismate ingrediar, aquam « adituri, ibidem, sed et aliquanto prius in Ecclesia sub an-« tistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo et « pompæ et angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius « aliquid respondentes quam Dominus in evangelio deter-« minavit. Inde suscepti, lactis et mellis concordiam prægu-« stamus; exque ea die lavacro quotidiano per totam heb-« domadam abstinemus. Eucharistiæ sacramentum, et in « tempore victus et omnibus mandatum a Domino, etiam « antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsi-« dentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natali-« tiis annua die facimus. Die dominico jejunium nefas du-

(1) Nempe observationem de qua ibi disserit Tertullianus.

(2) De traditione ab Apostolis profecta ibi loqui Tertullianum dubium non est.

« cimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die « Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut Panis « etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad « omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum « et exitum, ad vestitum, ad calciatum, ad lavacrum, ad « mensas, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, quacumque « nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo teri- « mus. Harum et aliarum hujusmodi disciplinarum si legem « expostules Scripturarum, nullam invenies : traditio tibi « prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides « observatrix » (de Corona militis, cap. 3). Ibi Tertullianus multas enumerat etiam circa liturgiæ accidentalem formam leges seu regulas, quas ab Apostolis traditas contendit. Dumque *alias hujusmodi disciplinas* suo tempore extitisse testatur, totum aliquod atque omnino determinatum juris liturgici corpus ab Apostolis sancitum fuisse atque præscriptum fatendum est. Eidem traditioni Apostolicæ multas liturgicas regulas tribuit sanctus Basilius, sic disserens : « Nam si consuetudines quæ scripto traditæ non « sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur « rejicere, imprudentes gravissimum evangelio detrimentum « inferemus... Ut signo crucis eos qui spem collocarunt in « Christum signemus, quis scripto docuit? Ut ad orientem « versi precemur, quæ nos docuit scriptura? Invocationis « verba cum conficitur panis Eucharistiæ, et poculum be- « nedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec « enim iis contenti sumus quæ commemorat Apostolus aut « evangelium; verum alia quoque et ante et post dicimus, « tanquam multum habentia momenti ad mysterium; quæ « ex traditione citra scriptum accepimus. Consecrans autem « aquam baptismatis et oleum unctionis præterea ipsum « qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne a ta- « cita secretaque traditione?... Jam ter immergi hominem, « unde ex scriptura haustum? Reliqua item quæ fiunt in « baptismo, veluti renuntiare Satanæ et angelis ejus, ex qua

« scriptura habemus? Nonne ex minime publicata et arcana « hac traditione? (De Spiritu sancto, cap. 27.)

Sanctus Paulus apostolus postquam circa divinæ eucharistiæ celebrationem quædam statuerat (I ad Cor. xi, 34), sic addit : *Cætera cum venero disponam;* quem locum sic commentario illustrat sanctus Hieronymus : *cætera de ipsius mysterii sacramento.* Sanctus autem Augustinus de eodem textu fusius disserit his verbis : « Cætera cum venero ordi« nabo. Unde intelligi datur quia multum erat ut in epistola « totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa « per orbem servat Ecclesia » (Epist. ad Januarium, Operum tom. II, p. 127). Idem Augustinus, apostolicæ institutioni tribuit ea quæ universa tenet Ecclesia, et non fuerunt ullo synodorum decreto sancita. « Sunt multa, inquit, quæ « universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab apostolis præcepta « bene creduntur » (De baptismo, lib. v, cap. 23). Ritus decantandi psalmos et alios hymnos satis innuitur his sancti Pauli verbis : *Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus* (Epist. ad Ephes., 18, 19). Quam commonitionem iterat idem Apostolus in sua ad Colossenses epistola (c. iii, v. 16). Jam secundo sæculo ita regulatam divini officii seu horarum canonicarum rationem nobis exhibent monumenta ut multas leges liturgicas ab Ecclesiæ exordiis statutas fuisse minime dubium esse possit. Sic Plinius junior in sua ad imperatorem Trajanum relatione : « Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ « suæ vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem « convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum « invicem. » Ergo jam tunc statuti dies, statutæ horæ ad conveniendum, statuta alternatim psallendi disciplina. Tertiam, sextam et nonam in solemniores divinarum precum horas assignatas merito fuisse asserebat Tertullianus : « Cur « non intelligamus, salva plane indifferentia semper et ubi« que et omni tempore orandi, tamen tres istas horas, ut « insigniores in rebus humanis..., ita et in solemniores fuisse

« in orationibus divinis? » (de jejuniis, cap. 10). Christianæ sepulturæ certum ritum cum sacerdotis orationibus exhibent hæc ejusdem Tertulliani verba : « Scio fœminam quamdam « vernaculam Ecclesiæ, forma et ætate integra functam post « unicum et breve matrimonium, cum in pace dormisset, et « morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri « componeretur, ad primum halitum orationis, manus a la- « teribus dimotas in habitum supplicem conformasse, rur- « sumque condita pace, situi suo reddidisse » (de anima, cap. 51) Sæculo tertio posteriores non esse canones qui dicuntur *apostolorum*, et librum qui *constitutionum apostolicarum* nomine nuncupatur, est eruditis plane compertum (1). Porro canones apostolorum plures exhibent liturgicas leges. Paucas adduxisse satis sit : « Si quis Episcopus vel presbyter Domini... « alia quædam ad altare attulerit..., deponatur, præterquam « nova legumina tempore opportuno. Ne liceat autem aliquid « aliud ad altare offerre, quam oleum ad luminare, et in- « censum tempore sanctæ oblationis » (can. 3). « Quicum- « que fideles ingrediuntur et Scripturas audiunt, in preca- « tione autem et sacra communione non permanent, ut « Ecclesiæ confusionem afferentes segregari oportet » (can. 9). « Vas aureum vel argenteum vel velum sanctificatum nemo « amplius in suum usum convertat ; hoc fit enim præter jus « et contra leges. Si quis autem deprehensus fuerit, mulc- « tetur » (can. 72). In constitutionibus quæ apostolorum dici solent, sic legitur : « Precationes facite mane, et tertia « hora, ac sexta et nona, et vespere, atque in gallicinio.... « Si propter infideles impossibile est ad ecclesiam procedere, « in domo aliqua congregationem facies, Episcope » (Const. apost., lib. VIII, cap. 34).

Chronicam sub nomine *libri pontificalis* notam pro authentica habendam probarunt eruditi : in ea porro multa

(1) Vide quæ de istorum librorum antiquitate et auctoritate disseruimus in nostro tractatu *de Principiis juris canonici*.

referuntur a proximis etiam sancti Petri successoribus circa liturgiam statuta. Hæc aliaque multa priorum sæculorum monumenta qui perpenderit, facile perspiciet liturgiam ab initio non in incertum fluctuasse, sed summa cura primum ab ipsis apostolis, quoad præcipuos ritus præscriptam fuisse atque determinatam ; tum variis legum accessionibus, synodorum decretis, ecclesiarum consuetudinibus auctam atque ornatam ad sequiora manasse tempora. Non ergo mirum institutionem formulæ *Dominus vobiscum*, *et cum spiritu tuo*, a Bracarensi concilio apostolis fuisse attributam : « Pla-« cuit ut non aliter Episcopi et aliter presbyteri populum, « sed uno modo salutent, dicentes : *Dominus vobiscum*... « et ut respondeatur a populo : *et cum spiritu tuo* : sicut « et ab ipsis apostolis traditum omnis retinet Oriens, et non « sicut Priscilliana pravitas immutavit » (can. 21). Non mirum a Vigilio Papa asseri missæ canonem auctores habuisse ipsosmet apostolos : quapropter et ipsius canonicæ precis textum direximus subter adjectum, quam Deo propitio ex apostolica traditione accepimus (Epist. ad Profuturum Bracarensem, apud Labbe, t. V, pag. 313). Non mirum sanctam Tridentinam synodum eidem institutioni apostolicæ ritus liturgicos tribuisse : « Cæremonias item adhibuit Ecclesia, ut « mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, alia-« que id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione » (sess. 22, cap. 5). Non mirum tandem ab ipsismet eruditis e protestantium secta scriptoribus pro comperta haberi apostolicam liturgiæ institutionem : « Consensus liturgiarum per « omnia loca ac tempora in precibus illis, ut Deus dona per « Spiritum suum sanctificet, eaque faciat corpus et sangui-« nem Christi, me dubitare non sinunt venire hoc a prima « apostolorum institutione » (Grotius, de pace Ecclesiæ, page 70). « Illos qui in omnibus istis liturgiis exprimuntur, « quique jam olim ubique inter sacra mysteria usitati fue-« runt ritus ; ex apostolica traditione fluxisse ; ecclesias « enim ab apostolis institutas formam aliquam et ritum of-

« ferendi sacrificium, cui tam arcta sit et præcipua cum reli-
« gione connexio, non accepisse, quis sanus sibi persuadeat?
« Non quod tamen liturgias omnes apostolicas iis quorum
« nomine insigniuntur adjudicare velim: sufficiat liturgiarum
« antiquarum si non scriptores, saltem primos auctores fuisse
« apostolos » (Grabe, in S. Irenæum, lib. 1, cap. 3, annotat.). Sit ergo pro indubitata conclusione, jus aliquod liturgicum, non vagum atque incertum, sed certis legibus et rituum formis, initio fuisse auctoritate apostolica institutum atque sancitum.

Objicies — In primitiva Ecclesia, liberum cuique erat quæ sibi placerent in divino officio persolvendo cantare. Sic enim testatur Durandus Mimatensis Episcopus (Rationale divinorum officiorum, l. v, c. 11, n. 2) : *In primitiva Ecclesia, diversa quisque pro suo velle cantabant, dummodo quod cantabant ad Dei laudem pertineret.* Idem affirmat Joannes Beleth, doctor Sorbonicus (de divinis officiis, cap. 19) : *In primitiva Ecclesia diversa cantabant, quisque pro suo libitu; ita tamen si illud quod canebant ad divinam laudem pertineret.* Ex iis et similibus doctorum testimoniis sequi videtur nullum determinatum jus liturgicum ab apostolis fuisse constitutum. — Respondeo : An, et quo sensu apostolorum tempore licuerit cuique fidelium in sanctis congressibus quæ libuerit decantare, expendendum relinquimus iis qui ex professo de antiquis Ecclesiæ ritibus disserunt. Hic tantum advertemus falsam esse conclusionem in objectione deductam. Nam etiamsi apostoli liberum cuique reliquissent laudes divinas cantandi modum, minime sequeretur eos in multis aliis rei liturgicæ formam non determinasse atque præscripsisse. Sequeretur tantum ritum illum decantandi sacri officii non fuisse certa forma ab eis constitutum. Sed neque probari potest ab apostolis toleratam fuisse confusionem illam coadunatorum ad sacra fidelium, et pro libitu quisque suo diversa simul cantantium. Quam tamen explorationem, ut diximus, hic brevitatis causa omittimus, ad tra-

ctatus de hac re speciales remittendo. Id ex supra allatis documentis certum est, ab apostolis ipsis jus quoddam liturgicum determinatum et constitutum fuisse, licet de hac aut illa praxi quæstio esse possit an sit institutionis apostolicæ.

II. Variam tamen in ritibus accidentalibus pro populorum diversitate institutam ab apostolis fuisse liturgiam admittendum est. Accidentalia liturgiæ dicimus quæ sacrosancti sacrificii integritati et sacramentorum valori necessaria non sunt. In hujusmodi autem non easdem omnino regulas omnibus ecclesiis initio præscriptas fuisse, et testantur liturgica monumenta, et suadet ratio, nec est qui in dubium revocet. Occurrit inprimis varietas in ipsomet idiomate ad peragendam rem liturgicam adhibito. Latinam linguam proculdubio in Antiochena ecclesia sanctus Petrus non præscripsit, nec græcam aut hierosolymitanam Romæ. Alioquin vel Orientalium idiomate conscriptæ reperirentur Occidentis antiquæ liturgiæ, vel romano Orientis. Populorum ergo atque regionum idiomati et ipse sanctus Petrus et apostolorum quisque liturgiam accommodavit. Quod sic animadvertit Lesleus : « Apostolus Petrus in Palæstina, Antiochiæ « et in Syria, in Ponto, in Galatia, Romæ in Italia, et in aliis « Orientis et Occidentis provinciis eucharistiam non semel « celebravit. Num eodem ritu ? Si annuis, quæro num ro« mano, num hierosolymitano ? Si romano, cur in Oriente « liturgia romana nullibi obtinuit ? Si hierosolymitano, cur « hic ritus Romæ et in Occidente admissus non fuit ? Est « igitur credibile sanctum Petrum et alios apostolos uni « eidemque liturgiæ constanter non adhæsisse » (in Missale mozarab. præfat. n° 161, not.). Si autem regionum idiomati sese accommodarunt apostoli, quis dubitet eos in multis aliis populorum usibus et indoli morem gessisse ? Liturgiarum ergo in quibusdam accidentalibus varietas et ipsa institutionis apostolicæ censenda est (1).

(1) Thesim illam de Apostolica liturgiæ institutione magis evolutam repe-

CAPUT II.

POTESTAS LEGISLATIVA CIRCA LITURGIAM, SINGULARUM ECCLESIARUM PRÆSULIBUS PERMISSA EST USQUE AD SÆCULUM V; QUO TEMPORE LITURGIA AD UNITATEM METROPOLITANAM PRUDENTER COEPIT REDUCI.

Magni momenti est thesis hæc ad illustrandam juris liturgici historiam, atque omnino perscrutanda ut recte dirimi possit controversia de necessitate aut opportunitate unitatis liturgicæ. Primum ergo thesis sensum determinabimus; tum monumenta colligemus ex quibus probatio extrui possit; probationem denique ipsam contexemus.

§ I.

Determinatur sensus thesis propositæ.

1° Dum dicimus *potestatem legislativam circa liturgiam* permissam fuisse singularum ecclesiarum sive diœceseon prælatis, non intelligimus potestatem circa essentialia seu immutabilia liturgiæ, id est, circa necessaria tum sacrosancti sacrificii integritati, tum sacramentorum valori. Hæc enim, utpote a Christo immutabiliter instituta atque ab apostolis uniformiter præscripta, nulla unquam legitime potuerunt nova sive Episcoporum singulorum, sive synodorum ordinatione alterari. Neque etiam intelligimus ea puncta quæ Romani Pontifices variis temporibus omnibus ecclesiis observanda præscripserunt. Quas leges liturgicas semel latas et in praxim universalem inductas nulla præter sedis Apostolicæ auctoritas potuit abrogare aut immutare. At vero in his duobus fixo remanente atque a singulis Episcopis et synodis regionalibus fideliter servando liturgico jure, amplissimus

ries in eximio opere Prosperi Guéranger, abbatis Solesmensis, cui titulus *Institutions liturgiques*, ex quo pauca hic adducta excepimus.

remanebat in cæteris ejusdem juris liturgici exercitio locus: in ordinandis scilicet, augendis corrigendisve formulis, cæremoniis, consuetudinibus, quæ nec de essentialibus supra memoratis sunt, nec ullo fuerant decreto pontificio universaliter præscriptæ ac determinatæ. Porro de his tantum, non vero de substantialibus aut a sancta sede universaliter statutis, intelligimus *potestatem legislativam* in res liturgicas, quam affirmamus ante sæculum V singulis ecclesiis permissam.

2° Dum dicimus prædictam potestatem leges ferendi de re liturgica *singularum ecclesiarum præsulibus* fuisse permissam, abstrahimus a quæstione utrum Episcopi absque cleri cathedralis seu capituli consilio aut consensu potuerint aliquid novi circa liturgiam statuere. In tractatu autem *de capitulis*, Thomassini aliorumque eruditorum sententiam prominus, qua generaliter affirmant solitum in tota antiquitate fuisse ut in constituendis disciplinaribus regulis requireretur cleri cathedralis consilium, et in multis etiam consensus. Quam controversiam hic intactam relinquentes, ita potestatem legislativam circa res liturgicas singulis in diœcesi sua episcopis ante sæculum V attribuimus, ut sive soli sive saltem cum clero suo potuerint circa liturgiam multa decernere.

3° Dum quintum sæculum assignamus, atque tunc temporis ad unitatem metropolitanam reductam fuisse liturgiam asserimus, non ita rigorose et mathematice intelligendum est, ut notabilis hæc juris liturgici immutatio non facta forte alicubi fuerit etiam ante sæculum quintum, sed eo sensu quod tunc temporis generaliorem eam contigisse monumenta doceant. Quibus prænotatis, jam ad ipsam thesim firmandam accedamus.

§ II.

Colliguntur monumenta probandæ thesi idonea.

Anno 416, sic decernebat in Africa Milevitana synodus: « Placuit etiam et illud, ut preces vel orationes seu missæ « quæ probatæ fuerint in concilio, sive præfationes, sive « commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus ce« lebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia nisi quæ « a prudentioribus tractatæ vel comprobatæ in synodo fue« rint; ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, « vel per minus studium sit compositum » (Apud Labbe, t. II, pag. 1540).

Anno 461 : « Rectum quoque duximus, ut vel intra pro« vinciam nostram sacrorum ordo et psallendi una sit con« suetudo : et sicut unam cum Trinitatis confessione fidem « tenemus, unam et officiorum regulam teneamus : ne variata « observatione in aliquo devotio nostra discrepare credatur » (conc. Venetense (Vannes) apud Labbe, tom. IV, pag. 1057).

Anno 506 : « Et quia convenit ordinem Ecclesiæ ab om« nibus æqualiter custodiri, studendum est, ut sicut ubique « fit et post antiphonas collectiones per ordinem ab Episcopis « vel presbyteris dicantur, et hymni matutini vel vespertini « diebus omnibus decantentur, et in conclusione matutina« rum vel vespertinarum missarum, post hymnos capitella de « psalmis dicantur, et plebs collecta oratione ad ves« peram ab Episcopo cum benedictione dimittatur » (concilium Agathense (d'Agde) apud Labbe, tom. IV, pag. 1388). « Ad celebranda divina officia, ordinem quem metropolitani « tenent, provinciales eorum observare debebunt » (ibid. canone 27).

Anno item 506 : « De institutione missarum, ut quomodo « in metropolitana ecclesia fuerit, ita Dei nomine in omni « Tarraconensi provincia, tam ipsius missæ ordo, quam psal-

« lendi vel ministrandi consuetudo servetur» (concilium Gerondense, apud Labbe, tom. IV, pag. 1568).

Anno 563 : « Placuit omnibus communi consensu, ut unus « atque idem psallendi ordo in matutinis vel vespertinis of« ficiis teneatur, et non diversæ ac privatæ, neque monas« teriorum consuetudines cum ecclesiastica regula sint per« mixtæ. Item placuit ut per solemnium dierum vigilias vel « missas, omnes easdem et non diversas lectiones in ecclesia « legant. Item placuit ut eodem ordine missæ celebrentur « ab omnibus, quem Profuturus, quondam hujus metropoli« tanæ ecclesiæ Episcopus, ab ipsa Apostolicæ sedis auctoritate « suscepit scriptum. Item placuit ut nullus eum baptizandi « ordinem prætermittat, quem et antea tenuit metropolitana « Bracarensis ecclesia, et pro amputanda aliquorum dubie« tate prædictus Profuturus Episcopus scriptum sibi et di« rectum a sede beatissimi apostoli Petri suscepit » (concil. Bracarense, can. 1, 2, 4, 5, apud Labbe, tom. V, pag. 840).

Anno 633 quarta synodus Toletana ad unitatem in tota Hispania liturgiam reducens, simul testabatur jam *antiquis canonibus* præscriptam fuisse unitatem in qualibet provincia ecclesiastica : « Post rectæ fidei confessionem, quæ in « sancta Dei Ecclesia prædicatur, placuit ut omnes sacerdo« tes qui catholicæ fidei unitate complectimur, nihil ultra « diversum aut dissonum in ecclesiasticis sacramentis aga« mus ; ne quælibet nostra diversitas, apud ignotos seu car« nales, schismatis errorem videatur ostendere, et multis « existat in scandalum varietas ecclesiarum. Unus igitur « ordo orandi atque psallendi nobis per omnem Hispaniam « atque Galliam (1) conservetur, unus modus in missarum « solemnitatibus, unus in vespertinis matutinisque officiis, « nec diversa sit ultra in nobis ecclesiastica consuetudo ; « quia in una fide continemur et regno ; hoc enim et anti« qui canones decreverunt, ut unaquæque provincia et psal-

(1) De Gallia Narbonensi ibi agitur.

« lendi et ministrandi parem consuetudinem teneat» (can. 2, apud Labbe, t. V).

§ III.

Concluditur thesis propositæ veritas..

Ex adductis monumentis constat quinto et sexto sæculo a pluribus synodis ad unitatem metropolitanam reductas fuisse liturgias; atqui ad dictam unitatem reduci non potuissent unius provinciæ diœceses, nisi diversis liturgiæ formis inter se discrepassent; ergo ante quintum sæculum variæ vigebant liturgiæ in variis ejusdem provinciæ ecclesiasticæ diœcesibus. Porro singularum diæceseon hujusmodi liturgias non regebat nec determinabat, quoad omnes formas et ritus, Apostolica sedes; ex aliis siquidem hujus ævi mox afferendis monumentis constat, Romanos Pontifices impulisse quidem pluries Occidentis ecclesias ut sese romanæ liturgiæ conformarent; id tamen expresso et proprie dicto mandato non imperasse. Et præterea si Romanum in omnibus servari morem decrevisset sedes Apostolica, non metropolitanam tantum unitatem statuissent concilia provincialia, sed decretum pontificium de observando ubique Romano ritu promulgassent. Aliunde supponi nequit liturgiæ omnimodam regulationem ante sæculum quintum fuisse penes metropolitanum antistitem aut provincialem synodum; si enim rituum atque officiorum ratio, atque omnimoda pro unaquaque diœcesi determinatio, sola metropolitani aut provincialis synodi auctoritate decerni potuisset, varietas non inducta fuisset, nec inducta corrigenda fuisset. Cum ergo neque auctoritate Summi Pontificis, neque auctoritate synodorum provincialium, neque auctoritate metropolitani, determinari in omnibus solita fuerit singularum diœceseon liturgia, concludendum est regulationem illam locorum ordinariis, saltem quoad multa, remansisse usque ad dictum sæculum permissam atque subjectam.

Prudenter tamen, ut in thesis enuntiatione diximus, cœperunt sæculo quinto provincialia concilia adducendæ, in unaquaque saltem provincia, unitati adlaborare. Prioribus quidem, post fundatas a viris apostolicis ecclesias, temporibus, nondum imminebat periculum ne liturgiæ ordinariis locorum permissæ in deterius abirent. Vivida siquidem adhuc perstabat atque omnibus summe veneranda traditionum aque regularum primitus statutarum memoria; quas convellere vel novitatibus obfuscare omnes duxissent nefas. Necessarias autem novorum festorum atque officiorum accessiones (quibus, tum ad celebrandos martyrum confessorumve triumphos, tum ad excitandum pro variis temporibus divinum a Christo in terram immissum ignem, perenni splendoris incremento liturgia usque ad finem mundi decorabitur), in promptu erat aptare typo primitus tradito, a quo omnium mentibus vivide impresso, ne aliqua ecclesia recederet, vix erat reformidandum. At vero labentibus sæculis, pro rerum omnium humanarum fragilitate, accidere identidem debuit ut et tradita paulatim negligenter omitterentur, et nova sine delectu in formulis et ritibus parum sapienter inducerentur. Hinc non probandæ semper exortæ ecclesiarum consuetudines; hinc ad præcavenda ulteriora detrimenta, sedis Apostolicæ et conciliorum regionalium excitata sollicitudo. Pro illo ergo, quo nunquam Ecclesia destituitur, Spiritus sancti ductu, opportuno tempore accidit, ut de unitate primum metropolitana cautum sit; dein vero, Tridentinæ synodi jussu, generalioris uniformitatis, atque tutiorum muniminum decretis, liturgiarum fuerit integritati sanctissime consultum.

CAPUT III.

ANTE SÆCULUM OCTAVUM SUMMI PONTIFICES ECCLESIAS OCCIDENTIS AD SEQUENDAM LITURGIAM ROMANAM SÆPE QUIDEM HORTATI ERANT, NON TAMEN ILLAM LITURGIAM STRICTE OBLIGATORIAM FECERANT.

I. Jam sub finem quarti sæculi *unam disciplinam per omnes ecclesias* esse custodiendam scripserat sanctus Siricius Papa : « Catholicorum Episcoporum unam confessionem « esse debere apostolica disciplina composuit. Si ergo una « fides est, manere debet et una traditio. Si una traditio « est, una debet disciplina per omnes ecclesias custodiri » (Epistolæ Romanorum Pontificum a P. Coustant collectæ, p. 692).

Per illam *disciplinæ unitatem* de qua loquitur dictus Pontifex, intelligendam etiam esse strictam in omnibus *liturgiæ unitatem,* nobis non videtur probari posse. Ea tamen verba jam non obscure prænuntiabant subsecuturam Romanorum Pontificum sollicitudinem, ut proprie dicta liturgiæ unitas in Occidente, generali primum exhortatione, et generali postea lege (quibusdam permissis exceptionibus) induceretur.

II. Idem sæculo quinto innuebat sanctus Cœlestinus Papa : « Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respi« ciamus, quæ ab apostolis tradita in toto mundo atque in « omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur; ut legem « credendi lex statuat supplicandi » (Epist. 21, apud Coustant). Dum enim ibi ab uniformitate precandi ad dogmatis veritatem concluditur, exspectandum erat fore ut aliquando, ad servandam sollicitius dogmatis puritatem, eadem in supplicando formula injungeretur.

III. Ad sanctum vero Innocenten I ubi devenitur, jam occurrit expressa cohortatio ut omnes Occidentis ecclesiæ

liturgiam Romæ vigentem, relictis diversitatibus, pro sua habeant atque diligenter observent : « Si instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis apostolis tradita, integra vellent « servare Domini sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas « in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur. Sed dum « unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum « fuerit, hoc æstimat esse tenendum, inde diversa in di- « versis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur; « ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones « antiquas humana præsumptione corruptas, putent sibi « aut ecclesias non convenire, aut ab apostolis vel aposto- « licis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat « aut non advertat, id quod a principe apostolorum Petro « Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custodi- « tur, ab omnibus debere servari; nec superduci aut intro- « duci aliquid quod auctoritatem non habeat, aut aliunde « accipere videatur exemplum? Præsertim cum sit mani- « festum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam « atque Siciliam et insulas interjacentes, nullum instituisse « ecclesias, nisi eos quos venerabilis apostolus Petrus aut « ejus successores constituerint sacerdotes. Aut legant si in « his provinciis alius apostolorum invenitur aut legitur « docuisse. Qui si non legunt, quia nusquam inveniunt, « oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, a « qua eos principium accepisse non dubium est; ne, dum « peregrinis assertionibus student, caput institutionum vi- « deantur omittere. Sæpe dilectionem tuam ad Urbem ve- « nisse, ac nobiscum in ecclesia convenisse non dubium est, « et quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in cæ- « teris agendis arcanis teneat cognovisse. Quod sufficere « ad informationem ecclesiæ tuæ, vel reformationem, si « præcessores tui minus aliquid aut aliter tenuerunt, satis « certum haberemus, nisi de aliquibus consulendos nos esse « duxisses » (Epist. ad Decentium Episcopum Eugubinum, apud Coustant.).

Ibi agi de parte etiam mobili et non essentiali sacræ liturgiæ certum facit tota epistolæ series. Nec nimus patet sanctum Innocentem, enumeratis ecclesiis quibus catholicus tunc constabat Occidens, hortari ut in omnibus forma romana servetur, et varietates juxta hanc regulam tollantur. Id dubium esse posset, utrum dictus Pontifex hortetur tantum, an vero etiam præcipiat. Sed si tota attente perpendatur epistola, hortatoria potius quam stricte præceptiva reperietur. Contrarium si quis sentiret, fateri saltem deberet noluisse Apostolicam sedem hujusmodi decretum stricte urgere, cum in pluribus ecclesiis non paucæ permanserint varietates liturgicæ.

Post S. Innocentem I, alii Romani Pontifices in eumdem sensum scripsisse reperiuntur; quin tamen adhuc liturgiæ Romanæ forma præceptive decernatur in Occidente servanda, et determinentur conditiones quarum privilegio quædam ecclesiæ possint a generali lege eximi.

Dum vero S. Innocentius asserit nullam, in liturgia ab apostolicis viris primum tradita, extitisse varietatem, et non nisi ex corruptione traditionum introductam diversitatem, id restringendum ad Occidentis ecclesias tota suadet argumentatio. De iis enim dumtaxat laudatus Pontifex disserit; et ideo liturgias uniformes in his regionibus initio fuisse contendit, quia ab unico apostolo Petro eas fluxisse certum est. Atque sic intellecta S. Innocentii doctrina, nullatenus contradicit thesi superius positæ, qua varias a variis apostolis institutas liturgias affirmavimus.

Permissas fuisse ecclesias etiam in Occidente post S. Innocentium I, quasdam sibi proprias liturgiarum varietates retinere, invicte probat sancti Gregorii Magni ad S. Augustinum Angliæ apostolum responsio. Siscitanti nempe Augustino, *cur, cum una fides, sunt ecclesiarum consuetudines tam diversæ, et altera consuetudo missarum est in Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum ecclesiis tenetur?* ita rescripsit sanctus Gregorius: « Novit fraternitas

« tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit « enutritam. Sed mihi placet, ut sive in sancta Romana, sive « in Galliarum, sive in qualibet ecclesia aliquid invenisti, « quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, « et in Anglorum ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, in- « stitutione præcipua, quæ de multis ecclesiis colligere po- « tuisti infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis « rebus loca nobis amanda sunt » (apud Labbe, tom. V, page 1568).

Ergo et extabant varietates liturgicæ, et eas omnes non reprobabat S. Gregorius Magnus, et in nova constituenda Anglorum ecclesia non injungebatur stricte introducenda liturgiæ Romanæ forma.

Idem præterea constat ex diversitate liturgiæ Romanæ cum *gallicana veteri,* quæ octavo tantum sæcu o e Gallia sublata est, et quæ hucusque tanquam legitime obtinens ab Apostolica sede habita fuerat; licet identidem Romani Pontifices unitatis liturgicæ votum exprimerent. Mozarabica pariter liturgia in Hispaniis viguit usque ad S. Gregorium septimum; et licet ille Pontifex, existimans eam diversitatem jam periculosam evasisse nec ulterius esse permittendam, acriter reprehendat eos qui dictam liturgiam retinere conabantur, nemo tamen inficiabitur Hispanias eo ritu retroactis sæculis, pacifice annuente Apostolica sede, esse usas.

CAPUT IV.

OCTAVO SÆCULO SUBLATA EST ANTIQUA LITURGIA ECCLESIARUM GALLIÆ, ET ROMANA INTRODUCTA : ITA TAMEN UT JUS CORRIGENDI, ADDENDI, IMMUTANDI QUÆ AD SUBSTANTIALIA NON PERTINERENT, PENES ORDINARIOS, VEL CONCILIA PROVINCIALIA REMANSERIT.

I. Antiquæ liturgiæ sublationem et Romanæ introductionem satis testantur hæc quæ subjicimus monumenta :

De Chrodogando Metensi Episcopo sic scripsit Paulus Dia-

conus : « Ipsumque clerum abundanter lege divina, roma-« naque imbutum cantilena, morem atque ordinem Romanæ « Ecclesiæ servare præcepit » (apud Duchesne, Hist. Franc., tom. II, pag. 204). Ergo Chrodogandus morem atque ordinem Romanæ Ecclesiæ in Metensem diœcesim introduxit.

In capitularibus Aquisgrani confectis anno 789 sic legere est : « Secundum quod beatæ memoriæ genitor noster Pipi-« nus rex decertavit ut fieret, quando gallicanum cantum « tulit, ob unanimitatem Apostolicæ sedis et sanctæ Dei Ec-« clesiæ pacificam concordiam » (Baluzii capitularia. — Aquisgr. 789, cap. 90). Si Pipinus rex unitatem cum liturgia Romana, etiam quoad cantum, servari curavit, a fortiori eamdem in formulis et ritibus unitatem requisivisse et constituisse præsumendus est.

Sublatam insuper omnem diversitatem qua officiorum celebratio in Gallia a Romano more distabat, testantur expresse acta dicti concilii Aquisgranensis anni 789, his verbis : « A cujus Romanæ Ecclesiæ sancta et veneranda « communione multis recedentibus, nostræ tamen partis « nunquam recessit Ecclesia; sed ea apostolica traditione « instruente, et eo a quo est omne donum optimum tribuente, « semper suscepit reverenda charismata. Quæ dum a primis « fidei temporibus cum ea perstaret in religionis sacræ « unione, et ab ea paulo distaret (quod tamen contra fidem « non est) in officiorum celebratione, venerandæ memoriæ « genitoris nostri illustrissimi Pipini regis cura et industria, « sive adventu in Gallias sanctissimi viri Stephani, Romanæ « Urbis antistitis, est ei etiam in psallendi ordine copu-« lata, ut non esset dispar ordo psallendi quibus erat com-« par ordo credendi... ; nec sejungeret officiorum varia ce-« lebratio, quas conjunxerat unicæ fidei pia devotio. » Cum ibi asseratur ecclesiam Gallicanam a Romana paululum discrepasse *in officiorum celebratione,* et a rege Pipino simul cum Romano Pontifice effectum, ut eas ecclesias *non*

sejungeret officiorum varia celebratio. Patet tunc sublatam omnem Galliis propriam liturgiæ formam, et morem Romanum integre fuisse introductum.

Liturgica autem illa immutatio, hortante Apostolica sede et summa devotione morem gerentibus Episcopis et regibus Galliæ effecta est, ut constat ex sequenti citatorum capitularium textu : « Quod quidem et nos, collato nobis a Deo « regno Italiæ, fecimus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ fastigium « sublimare cupientes, reverendissimi Papæ Adriani salu- « taribus exhortationibus parere nitentes : scilicet ut plures « illius partis Ecclesiæ, quæ quondam Apostolicæ sedis tra- « ditionem in psallendo suscipere recusabant, nunc eam cum « omni diligentia amplectantur; et cui adhæserant fidei mu- « nere, adhæreant quoque psallendi ordine. Quod non so- « lum omnium Galliarum provinciæ, et Germania, sive Italia, « sed etiam Saxones et quædam aquilonaris plagæ gentes, « per Nos Deo annuente, ad fidei rudimenta conversæ, fa- « cere noscuntur. »

Eamdem præterea Romanæ liturgiæ in Gallias introductionem, atque simul in Italiam, Germaniam, Saxoniam reliquosque septentrionales tractus, sic refert et documentis historicis probat Thomassinus :

« Extra dubium est, a Stephano Papa concessos fuisse « flagitanti Pipino regi Romanos cantores, a quibus in « ecclesias Gallicanas omnes Romana psalmodia propagare- « tur... Constantissime id affirmat, cui fides derogari non « possit, Carolus Magnus in Capitularibus (Capitul. l. 1, c. 20, « — Capit. Aquisgran., anni 789, c. 80) : *Monachi ut can-* « *tum Romanum pleniter et ordinabiliter per nocturnale* « *vel gradale officium peragant, secundum quod beatæ* « *memoriæ genitor noster Pipinus rex decretavit ut fieret,* « *quando Gallicanum cantum tulit, ob unanimitatem* « *Apostolicæ sedis et sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam con-* « *cordiam...*

« Ea erat cantus discordia, officiorumque et sacrorum

« rituum discrepantia, non tantum Gallicanas inter provin-
« cias, sed et inter ejusdem provinciæ civitates, ut non
« posset ea non aliquando offendiculo esse... Poterat et offi-
« ciorum diversitas aliquando ipsam fidei unitatem convel-
« lere et labefactare, cum implicata adeo sit officiis eccle-
« siasticis fides orthodoxa. Non injuria ergo potentissimi
« reges et catholicæ fidei amantissimi tantopere exarserunt
« ad eam cantus et officiorum consonantiam inter ecclesias
« regni sui omnes et cum Romana stabiliendam, cujus fides
« illimis semper et intaminata ipsa sibi fuit et in alias fluxit
« ecclesias. Accipe verba ipsa Caroli Magni. » (Hic citat
Thomassinus textum a nobis modo relatum, qui incipit
cujus Romanæ Ecclesiæ, et deinde subdit) : « Quibus illud
« edocemur non cantus tantum et officiorum, sed et fidei
« cum Romana Ecclesia concentui prospectum voluisse maxi-
« mos reges et unitati..... Facile augurabantur prudentis-
« simi reges, quantum immineret periculi in fidei ipsam
« substantiam ex officiorum discrepantia. Nec in Gallia tan-
« tum provexit Carolus Magnus, ad optatumque perduxit
« finem ordinis et cantus Romani institutionem, a Pipino
« rege cœptam, sed et in Italiam quæ hactenus reluctata fue-
« rat, et in Germaniam Saxoniamque et reliquos septentrio-
« nales tractus eandem intulit et constabilivit rerum sacrarum
« consensionem. Id ipsemet, libro jam citato, testificatur :
« *Quodquidem et Nos...* » (Illum textum modo retulimus.)

« Ut autem omnibus obviam iretur erroribus et corru-
« ptelis in doctrinam fidei, vel in morum disciplinam emer-
« suris, ex diversitate non tantum cantus, sed et textus
« divinorum officiorum, flagitavit Carolus Magnus Grego-
« rii Magni sacramentarium ab Adriano Papa ; qui illud per
« Joannem Abbatem Ravennatem transmisit : *De sacra-*
« *mentario vero, a sancto prædecessore nostro deifluo*
« *Gregorio disposito, jampridem Paulus grammaticus a*
« *nobis eum pro vobis petiit, et secundum sanctæ nostræ*
« *Ecclesiæ traditionem per Joannem Abbatem Excellen-*

« *tiæ vestræ emisimus* (apud Duchesne, t. III, pag. 798).
« Prolatum jam est a nobis Capitulare ejusdem Caroli, quo
« præcipiebat ut monasteria regni omnia in nocturnis diur-
« nisque officiis ad Romanum se morem accommodarent :
« *Per nocturnale et gradale officium peragant.* Concilium
« Moguntinum anni 813 jussit, ut in administrando ba-
« ptismo, juxta imperatorum rescriptum, Romanum sacra-
« mentarium omnes sectarentur : *Sacramenta itaque baptis-*
« *matis volumus, ut, sicut sancta vestra fuit admonitio, ita*
« *concorditer atque uniformiter in singulis parochiis secun-*
« *dum Romanum ordinem inter nos celebretur.* In Capitula-
« ribus idem præscribitur cum Ecclesia Romana consensus
« quoad missam : *ut unusquisque presbyter missam ordine*
« *Romano cum sandaliis celebret.* Carolus Calvus impe-
« rator idem testimonium dicit in sua ad clerum Ravenna-
« tem epistola : *Nam et usque ad tempora abavi nostri*
« *Pipini, Gallicanæ ecclesiæ aliter quam Romana vel Me-*
« *diolanensis ecclesia divina officia celebrabant. Sicut*
« *vidimus et audivimus ab eis, qui ex partibus Toletanæ*
« *ecclesiæ ad nos venientes, secundum morem ipsius ec-*
« *clesiæ coram nobis sacra officia celebrarunt. Celebrata*
« *sunt etiam coram nobis sacra missarum officia more*
« *hierosolymitano, auctore Jacobo Apostolo, et more con-*
« *stantinopolitano, auctore Basilio. Sed nos sequendam*
« *ducimus Romanam Ecclesiam in missarum celebratione.*
« Habes hic pernumeratas celeberrimas quasque liturgias,
« quas celebrari viderat hic imperator...; quæ omnes inter
« se non mediocriter dissidebant. Habebat et suam Ecclesia
« Gallicana; quæ hoc tandem tempore regnantis Carolinæ
« stirpis Romanam amplexa est, et in eandem consensio-
« nem reliquas omnes pertraxit secum occidentales eccle-
« sias. » (Thom. Disciplina Ecclesiæ, part. 1, lib. II, c. 80.)

Refert postea Thomassinus egregium Valafridis Strabonis testimonium, eandem per totum generaliter Occidentem liturgiæ Romanæ introductionem affirmantis : *Plenarius*

officiorum ordo, qui nunc per Romanum orbem servatur, post antiquitatem multis temporibus evolutam, est institutus, et ad omnem eminentiam sanctæ religionis est dilatatus. Crescente enim fidelium numero, et hæreseon pestilentia multiplicius pacem maculante catholicam, necesse erat augeri cultum veræ observationis, ut et clarior religio accedentium ad fidem animos invitaret... Privilegio Romanæ sedis observato factum est ut in omnibus pene Latinorum ecclesiis consuetudo et magisterium ejusdem sedis prævaleret; quia non est alia traditio æque sequenda, vel in fidei regula, vel in observationum doctrina. (Walaf. Strabo de Rebus eccles., cap. 25.)

His vero testimoniis addendum est factum ipsum, ut ita dicam, palpabile, liturgiæ veteris Gallicanæ, quam e pulverulentis manuscriptis magna ex parte retexuit atque edidit Mabillonius. Exploratum enim apud eruditos est hujusmodi liturgiam ante octavum sæculum in usu apud Gallos fuisse; nec minus certum est eam, ab altera quæ post octavum sæculum viguisse constat, esse substantialiter diversam. Ergo octavo sæculo facta est a priori ad posteriorem, ad Romanam nempe, transmigratio.

Ex iis porro documentis invicte patet, non cantum solummodo, sed et ipsam liturgiam Romanæ Ecclesiæ, in Galliam, Italiam, Germaniam, Saxoniam, septentrionalesque alias plagas, Caroli Magni tempore fuisse introductam, atque ibidem viguisse.

II. Sedes tamen Apostolica non videtur tunc omnem potestatem in res liturgicas ita sibi reservasse, ut non remanserit sicut antea penes ordinarios locorum prælatos, aut penes concilia provincialia, jus aliqua pro opportunitate addendi, officia quædam propria sibi ordinandi, atque leves alias immutationes ubi visum foret inducendi.

Omnimodam enim hujusmodi reservationem monumenta nulla testantur, nulla innuunt. Præterea certum est multas paulatim labentibus sæculis introductas additiones atque

immutationes, licet non eæ quæ vigentis liturgiæ substantiam afficerent. Ita etiam ut tandem liturgiæ in Gallia iterum et a Romana et inter se diversæ iterum evaserint, et potius *Romano-Gallicæ* quam simpliciter *Romanæ* tempore concilii Tridentini dici debuerint. Aliunde vero variæ modificationes sive correctiones quas variis temporibus ipsa Romanæ Ecclesiæ liturgia passa est non videntur præceptivo decreto Galliarum ecclesiis fuisse impositæ. Quæ omnia innuunt et satis probant potestatem legislativam quoad leves accessiones, immutationes atque correctiones liturgicas, penes concilia provincialia, et alicubi forsan penes cujuslibet monasterii et diœcesis ordinarium, annuente Apostolica sede, pacifice remansisse. Et certe videmus sanctum Bernardum, postulante cujusdam monasterii abbate, novum de sancto Victore officium composuisse; neque in eximia ejus de hac re epistola ullum occurrit verbum quo in quæstionem adducere videatur utrum nova hujusmodi officia introducere liceret. (S. Bernardi opera, tom. I, epist. 312.)

CAPUT V.

A S. GREGORIO VII SUBLATA EX HISPANIIS LITURGIA MOZARABICA ET ROMANA PRÆSCRIPTA : ITA TAMEN UT JUS EA QUÆ AD SUBSTANTIALIA NON PERTINERENT CORRIGENDI, ADDENDI ET IMMUTANDI PENES ORDINARIOS PRÆLATOS VEL SALTEM PENES CONCILIA PROVINCIALIA REMANSERIT.

I. Qua ratione et felici exitu hortantibus Romanis Pontificibus antiqua liturgia Gallicana octavo sæculo Romanæ locum cesserit, superiori capite dictum est. Similem prorsus immutationem in Hispaniis undecimo sæculo exhibent historica monumenta : at non jam hortante tantum, sed imperante atque omnino exigente Apostolica sede.

Jam ante S. Gregorium VII in aliquo Aragoniæ concilio videmus prohibitam gothicam liturgiam, atque præscriptum Romanum morem : « Data sacerdotibus lex, ne quo

« alio more quam Romano precarentur; neque gothica, ut« pote peregrina, piacula exsolverentur. » (Labbe, tom. IX, pag. 1112.) Anno 1068, sub Alexandro Papa II, idem in tota Cataloniæ provincia decretum atque constitutum (quod vide monumentis firmatum apud Pinium — Tractatus historico-chronologicus, de liturgia antiqua hispanica, c. VI, pag. 43). Ad omnes postea Hispanias extendi liturgiam Romanam indefessa vigoris apostolici constantia curavit, atque non parvis superatis difficultatibus obtinuit sanctus Gregorius VII. Quod quanto zelo præstiterit testantur variæ ipsius epistolæ, e quibus pauca quædam seligimus: « In hoc « autem quod sub ditione tua Romani ordinis officium fieri « studio et jussionibus tuis asseris, Romanæ Ecclesiæ te fi« lium.... cognosceris. Esto itaque constans, et fiduciam fir« mam habeas, et quod cœpisti perficias. » (Epist. ad Aragoniæ regem, anni 1074 — apud Labbe, tom. X, page 53.)

« Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Alphonso « et Sancio regibus Hispaniæ, a paribus et episcopis in di« tione sua constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. « — Cum beatus Apostolus Paulus Hispaniam se adiisse si« gnificet, ac postea septem Episcopos ab urbe Roma ad « instruendos Hispaniæ populos a Petro et Paulo apostolis « directos fuisse, qui, destructa idololatria Christianitatem « fundaverunt, religionem plantaverunt, ordinem et offi« cium in divinis cultibus agendis ostenderunt, et sanguine « suo ecclesias dedicavere, vestra diligentia non ignoret, quan« tam concordiam cum Romana urbe Hispania in religione et « ordine divini officii habuisse (1) satis patet. Sed postquam « vesania Priscillianistarum diu pollutum, et perfidia Aria« norum depravatum, et a Romano ritu separatum, irruen« tibus prius Gothis, ac demum invadentibus Sarracenis re« gnum Hispaniæ fuit, non solum religio est diminuta, verum « etiam mundanæ sunt opes labefactatæ. Quapropter ut filios « carissimos vos adhortor et moneo, ut vos sicut bonæ sobo-

(1) In margine conciliorum Labbei notatur, forte legendum esse *habuisset*.

« les, etsi post diuturnas scissuras, demum tamen ut matrem « revera vestram Romanam Ecclesiam recognoscatis, in qua « et nos fratres reperiatis, Romanæ Ecclesiæ ordinem et offi- « cium recipiatis, non Toletanæ, vel cujuslibet alius, sed « istius quæ a Petro et Paulo supra firmam petram per « Christum fundata est et sanguine consecrata, cui portæ « inferni, id est linguæ hæreticorum, nunquam prævalere « potuerunt, sicut cætera regna Occidentis et Septentrionis « teneatis. Unde enim non dubitatis vos suscepisse religionis « exordium, restat etiam ut inde recipiatis in ecclesiatico « ordine divinum officium ; quod Innocentii Papæ ad Eugu- « binum directa decreta insinuant, quod Toletanum et Bra- « carense demonstrant concilia, quod etiam Episcopi vestri, « ad nos nuper venientes, juxta constitutionem concilii, per « scripta sua facere promiserunt, et in manu nostra firmave- « runt. » (Labbe, tom. XII, pag. 283, édit. Venet. 1730.)

« Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Simeoni « Hispanorum Episcopo, salutem et apostolicam benedictio- « nem. — Apostolica sedes, cui quamvis immeriti Deo auctore « præsidemus, ipso gubernante firma permansit ab ipsis pri- « mordiis, eoque tuente illibata perpetuo permanebit, tes- « tante eodem Domino : ego pro te rogavi ut non deficiat « fides tua ; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. « His itaque fulta præsidiis Romana te cupit scire Ecclesia, « quod filios quos Christo nutrit, non diversis uberibus, nec « diverso cupit alere lacte, ut secundum Apostolum sint unum, « et non sint in eis schismata : alioquin non mater sed scis- « sio vocaretur. Quapropter notum sit tibi cunctisque « Christi fidelibus, super quibus consuluisti, quod decreta « quæ a nobis, imo a Romana constat Ecclesia prolata sive « confirmata, in peragendis a vobis ejusdem Ecclesiæ officiis, « inconcussa volumus permanere... Quod autem filii mortis « dicunt se a nobis litteras accepisse, sciatis per omnia fal- « sum esse. Procura ergo ut Romanus ordo per totam His- « paniam et Galliciam et ubicumque poteris, in om-

« nibus rectius teneatur » (Labbe, tom. X, pagina 144.)

Urgentibus ergo hujuscemodi sedis Apostolicæ decretis, mozarabica liturgia etiam a Toletana ecclesia omnino expulsa est, atque factus ubique Romano mori locus. Ne tamen delerentur pretiosa hæc antiquitatis monumenta atque testimonia, longo post tempore, curavit Cardinalis Ximenes colligi atque excudi mutilos qui remanserant mozarabicos libros; obtentaque a Julio II Romano Pontifice facultate, in una Toletanæ cathedralis capella et in sex aliis ecclesiis, ritu gothico iterum rem divinam peragi constituit.

Illam autem liturgiæ Romanæ in Hispanias undecimo sæculo introductionem, tanquam certam habet Thomassinus, qui nationale concilium Jaccense in testimonium adducit his verbis :

« Ejusdem generis fuit concilium Jaccense anno 1060, Ubi « officiis ecclesiasticis gothicæ linguæ expunctis Romana adscita « sunt. » (Thomassinus, Discip. Eccles., part. 2, lib. 3, cap. 55.)

II. Relictam in Galliis potestatem sive ordinariis locorum, sive conciliis provincialibus, quoad leves accessiones correctionesve liturgicas, etiam post Romani ritus introductionem et veteris gallicani sublationem octavo sæculo peractam, in superiore capite adnotavimus. Idem porro censendum videtur quoad Hispanias peracta undecimi sæculi revolutione liturgica. Neque enim ante sanctum Pium quintum ulla occurrit reservatio pontificia, qua prohibeantur ordinarii prælati et regionalia concilia formulis ritibusve Romanis quidquam, etiam leve, addere vel corrigere; a quibus levibus immutationibus non videntur Hispaniarum ecclesiæ abstinuisse. Ex hujus tamen quantulæcumque facultatis exercitio, sensim sine sensu notabiles necessario tractu temporis iterum orituræ erant varietates atque incommoda. Unde ex ipsa rei natura atque præteritorum abusuum experientia exspectandum erat, ut Apostolica sedes potestatem legislativam circa rem liturgicam omnino sibi aliquando reservaret, atque ita in perpetuum liturgicæ unitati et puritati provideret.

CAPUT VI.

IN TOTO GENERALITER OCCIDENTE A S. GREGORII VII TEMPORE VIGUIT ECCLESIÆ ROMANÆ LITURGIA.

Jam in superioribus capitibus Romanæ liturgiæ addictas ostendimus Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Saxoniam aliasque septentrionales plagas. Restat ut idem quoad Angliam contestemur : earum siquidem regionum mores liturgicos indigitasse, est ipsammet totius catholici Occidentis liturgiam protulisse.

Augustino Anglorum apostolo permiserat sanctus Gregorius Magnus (cujus verba de hac re supra retulimus), ut ex variarum ecclesiarum ritibus, quæ sibi opportuna viderentur introduceret. De facto tamen liturgia Romana in novis Angliæ ecclesiis fuit constituta. Cujus sufficientem probationem suppeditare videtur Catalanus in hunc modum disserens :

« Cum S. Gregorius Magnus in Angliam S. Augustinum « misisset, Romanos libros eo perferri curavit, Romanique « officii ritus ita illic constitutus fuit, ut cum nonnulli dein« de ritus quosdam singulares inducere voluissent, restiterit « illorum conatibus concilium Cloveshoviense, habitum anno « 747, ubi canone 13 definit, *ut uno eodemque modo do« minicæ dispensationis in carne sacrosanctæ festivita« tes, in omnibus ad eas rite competentibus rebus, id est, « in baptismi officio, in missarum celebratione, in canti« lenæ modo celebrentur, juxta exemplar videlicet, quod « scriptum de Romana habemus Ecclesia.... Itemque ut « per gyrum totius anni natalitia sanctorum uno eodem« que die juxta martyrologium ejusdem Romanæ Ecclesiæ « cum sua sibi convenienti psalmodia seu cantilena ve« nerentur*. Ex hoc autem canone colligere licet, extitisse « tunc rituale, missale, antiphonarium, martyrologiumque « Romanæ Ecclesiæ, quæ ab omnibus ecclesiis servanda

« erant. » (Catalani in præfatione commentarii in rituale Romanum.)

CAPUT VII.

NULLIBI ET NULLO POST APOSTOLOS TEMPORE VIDETUR FUISSE LICITUM LOCORUM PRÆLATIS AUT CONCILIIS PARTICULARIBUS, LITURGIAM IN ALIQUA ECCLESIA VIGENTEM PROPRIA AUCTORITATE TOLLERE, AD ALIAM NOVITER CONFECTAM INTRODUCENDAM.

Attentata quidem in Galliis decimo octavo sæculo istiusmodi immutatio liturgica, ut infra exponetur; et similes recentiores abusus memorat Pius V in bulla *Quod a nobis*. Ast in remotioribus sæculis prorsus id insuetum videtur. Monumenta scilicet qui revolverit, reperiet duplicis tantum generis immutationem liturgicam : alteram qua sensim sine sensu ejusdem ecclesiæ liturgia ditatur officiorum rituumve et consuetudinum accessionibus, vel etiam aliquibus antiquis formis, jam pro mutatorum temporum ratione minus idoneis, exuitur : alteram qua liturgia, ab antiquissimo licet ævo in aliqua regione vigens, de medio tollitur ut alia antiqua pariter et jam alibi vigens, Romana verbi gratia, in sublatæ locum succedat. At vero liturgiam nullibi adhuc vigentem et noviter confectam, in locum expulsæ alicujus antiquæ ac vigentis induci, nullo videtur posse antiquitatis facto aut exemplo comprobari.

Nec mirum : hujusmodi enim legislativa in liturgiam potestas non in ædificationem, sed in destructionem prorsus cessisset, atque ut periculosissimus omni ævo abusus merito habita fuisset. Nam, ex supra probatis, liturgia valorem dogmaticum habet, ita ut tota sit solemnis quædam fidei enuntiatio et dogmatis veluti clamor. Regulationem autem independentem fidei et dogmatis nunquam potuit Ecclesia singulis Episcopis vel etiam synodis particularibus, utpote infallibilitate minime donatis, permittere. Ergo, licet Ecclesia

moderandam liturgiam singulis ecclesiis per plura sæcula aliquatenus permiserit, non tamen eo sensu permisisse censenda est, quod potuerit quilibet Episcopus liturgiam ab antiquo traditam et obtinentem de medio tollere, et novam quæ in usu nullibi fuisset proprio marte concinnare et substituere. Tale jus liturgicum nunquam habuit ulla particularis synodus, aut ullus particularis diœceseos prælatus; sed potuerunt tantum liturgiis a fundatoribus ecclesiarum traditis et constitutis accessiones quasdam correctionesve pro temporum ratione accommodare.

Præterea non potuisset prioribus sæculis aliquis Episcopus liturgiæ totalem immutationem et noviter confectæ introductionem tentare absque summo scandalo. Unaquæque enim ecclesia ab apostolo vel apostolico viro traditam sibi liturgiam, veluti sacrum depositum, et tutissimam credendi et agendi regulam, ingentissimo zelo custodiebat. Dum ergo generationibus adeo imbibitam sacri cultus formam aliquis Episcopus subvertere tentasset, nova et nunquam tradita introducturus, injuriæ in sanctum Ecclesiæ fundatorem reus, atque ipsa novitate suspectus apud omnes extitisset. Nec dubium quin ei unanimi nisu clerus populusque restitisset; priusque sublatus Episcopus, quam ipsa expulsa liturgia fuisset. Posterioribus autem sæculis eo major excitata fuisset ex dicta immutatione commotio, quo majori antiquitate veneranda magis liturgia evasisset; nec minus justa populis causa noviter confectæ et nulla satis firma auctoritate munitæ liturgiæ obsistendi. Non ergo censenda est sedes Apostolica talem potestatem jurisdictionalem singulis Episcopis aut particularibus synodis contulisse aut permisisse, ut dictas commotiones ciere, nullo cum religionis fructu, summo vero cum fidei et pacis periculo, ipsis liberum fuerit. Uno verbo, talis potestas esset potestas ad malum; ergo nec est, nec fuit, nec erit unquam.

Fatemur tamen gravissimam hic objectionem occurrere; factum nempe earum orientalium liturgiarum quæ tum a

sancto Basilio, tum ab aliis conflatæ sunt. Videntur scilicet hujusmodi liturgiæ, non quibusdam solummodo accidentalibus immutationibus, sed etiam quoad substantiam, ab iis quibus substituebantur fuisse diversas. Cui difficultati breviter respondeo : Primo, mihi compertum non est dictas liturgias ita fuisse *novas*, ut ab omnibus aliis antiquis et probatis substantialiter discreparent. Vix mihi persuadeam, adeo ubique traditionis tenacem Basilium, hoc sibi licitum fecisse. Secundo, hanc tamen substantialem discrepantiam si pro certa et explorata habeant eruditi, dicendum videtur hujusmodi viros, pro ea qua pollebant sanctitate et patratorum miraculorum fama, id ex speciali spiritus divini inspiratione egisse; eam porro agendi rationem non pro regula, sed pro exceptione regulam firmante, esse potius habendam; nec eos qui absque simili sanctitatis auctoritate idem attentarunt laudandos, at vero vituperandos esse.

Eadem autem responsione obviam imus difficultati quæ moveri posset circa liturgias a S. Benedicto aliisve viris olim in Occidente propria auctoritate ordinatas : vel scilicet novæ quoad substantiam non fuerunt, vel non sine sedis Apostolicæ auctoritate inductæ, vel aliquo speciali, non aliis imitando, numinis ductu ita factitatum.

CAPUT VIII.

QUODNAM ESSET, ET COMMUNITER A DOCTORIBUS INTELLIGERETUR JUS LITURGICUM ANTE S. PIUM V.

Parum huic quæstioni, utpote jam ad eruditionem tantum historicam utili, immorabimur. Satis proinde erit in testimonium adducere aliquem ex insignioribus qui ante Tridentinam synodum scripserint doctoribus. Inter quos elegimus sanctum Antoninum cujus hæc sunt verba : « Quæritur « quid debeat dici pro horis. Dicit Laudunus quod si est « consuetudo probabilis, vel certa constitutio super hoc,

« illud servabunt (dist. 12, *Novit*). Nam dicere hoc vel illud « non est in præcepto, cum diversi diversa dicant (*de con*« *secr*. dist. 5, can. *In die*) Modus tamen dicendi horas « quoad sæculares clericos sumendus est ab Ecclesia Ro« mana (ut in dicto canone *In die*), vel metropolitana (dist. « 12, canone finali). Nec reprobatur per hoc ille usus (secun« dum Laudunum), quo quidam contenti sunt tribus psal« mis, licet Romana vel metròpolitana ecclesia hoc non « servet (dist. 12, *De his*) : quod puto intelligendum de usu « antiquo alicujus ecclesiæ, non de eo quem sibi faceret « privata persona. In regularibus dicit Laudumus attenden« dam esse ordinationem regulæ suæ et suorum statutorum « (dist. 12, *Placuit*). Sed in directorio juris (l. 1, tit. 8) « dicitur quod ordinatus ad titulum suæ possessionis vel « patrimonii, potest dicere quodcumque officium, quia non « est obligatus ad istam vel illam regulam specialiter. Ordi« natus vero vel intitulatus ad certam regulam vel ecclesiam, « tenetur dicere officium quod ibi fieri consuevit, alias pec« caret (dist. 11, *In his*). Et hoc, nisi esset super hoc privi« legiatus, ut clerici et religiosi qui sunt commensales do« mestici cardinalium et episcoporum, quibus indulgetur « quod idem dicant officium, nec ad aliud teneantur. » (S. Antoninus, Summa theologica, parte III, tit. 13, cap. 4, § 2.)

Ex his paucis facile introspici potest quænam fuerit doctrina ante S. Pium V communiter recepta. Nempe : 1° regulares ad liturgiam in sua regula seu instituto præscriptam fuisse adstrictos. 2° Item clericos sæculares intitulatos ad certam ecclesiam, debuisse officio hujus ecclesiæ sese conformare. 3° Singulas ecclesias generatim loquendo debuisse sequi liturgiam metropolitanæ ecclesiæ, juxta can. *De iis* et can. *Placuit* distinctionis 12; qui duo canones, ex concilio Toletano et Bracarensi desumpti, jam supra (cap. 2) relati sunt. 4°. Videtur tamen liberum fuisse ecclesiis suffraganeis sequi ritum Romanæ Ecclesiæ, relicto ritu metropolitanæ proprio. 5° Antiquas et laudabiles cujusque ecclesiæ consuetudines

præcipuam fuisse in tota hac re ordinanda regulam. 6° Potuisse aliquid corrigi et immutari, tum a concilio provinciali pro tota provincia, tum ab ordinario in ecclesia quæ propriam habebat liturgiam, supponunt auctores et monumenta concilio Tridentino anteriora. 7° An autem cuilibet Episcopo, vel etiam concilio provinciali fuerit licitum liturgias substantialiter novas conficere et introducere, non vidi ab auctoribus S. Pio V antiquioribus disputatum; et videtur persuasio contraria generaliter viguisse.

CAPUT IX.

A TEMPORE S. PII V, LITURGIA ROMANA CORRECTA IN TOTO OCCIDENTE (SALVIS QUIBUSDAM EXCEPTIONIBUS) ITA PRÆSCRIPTA EST, UT JUS LITURGICUM SEDI APOSTOLICÆ FUERIT ET REMANEAT OMNINO RESERVATUM.

Introductam in Gallias octavo sæculo liturgiam Romanam, atque undecimo in Hispanias, supra memoravimus; generaliterque in toto Occidente eamdem postea viguisse constat.

Atvero ordinariis locorum prælatis conciliisque particularibus adempta nondum fuerat ante decimum sextum sæculum omnis circa rem liturgicam legislativa potestas. Hinc remanente semper liturgiæ Romanæ substantia, multæ tractu temporis additiones accesserant, multa ex privatis ecclesiarum usibus admixta, multi inducti abusus, exortaque iterum deformis discordia; atque eo res processerat ut aliqui jam Episcopi valde nova et a Romano diversa breviaria sibi concinnare non reformidarent. Quem rei liturgicæ statum sic describit sanctus Pius quintus in sua bulla *Quod a nobis* :
« Quæ divini officii formula, pie olim ac sapienter a Summis
« Pontificibus, præsertim Gelasio ac Gregorio primis con-
« stituta, a Gregorio autem VII reformata, cum diuturnitate
« temporis ab antiqua institutione deflexisset, necessaria
« visa res est quæ ad pristinam orandi regulam conformata

« revocaretur. Alii enim præclaram veteris breviarii consti-
« tutionem multis locis mutilatam, alii incertis et advenis
« quibusdam commutatam deformarunt. Quin etiam in
« provincias paulatim irrepserat prava illa consuetudo, ut
« Episcopi in ecclesiis quæ ab initio communiter cum cæte-
« ris veteri Romano more horas canonicas dicere ac psal-
« lere consuevissent, privatum sibi quisque breviarium con-
« ficerent, et illam communionem uni Deo, una et eadem
« formula preces ac laudes adhibendi, dissimillimo inter
« se, ac pene cujusque episcopatus proprio officio discer-
« perent. Hinc illa tam multis in locis divini cultus per-
« turbatio. »

Hæc emendanda decreverat Paulus Papa IV; qua de causa obtentas a sede Apostolica facultates utendi quodam breviario a cardinali Quignonez recens composito primum retraxit. Tum expurgatam et ad pristinum morem et institutum redactam librorum liturgicorum editionem parabat. In quam curam, mortuo Paulo IV, successere Tridentini Patres, ad quos Pius IV deferri curavit quidquid jam de hac re collectum atque elaboratum fuerat. Piis doctisque viris a synodo commissum negotium, manusque operi gnaviter admota. Instante vero conclusione concilii, cum ad exitum, præ temporis angustia, res deduci non posset, ad auctoritatem judiciumque Romani Pontificis decreto conciliari tota hujus negotii cura commissa est. Romam ergo vocati viri qui jam in Tridentina synodo operi adlaboraverant, eisque alii atque alii adjuncti. Ac tandem, mortuo Pio IV, reformatum breviarium primum, ac paulo post missale, sanctus Pius V publicare atque toti Occidenti injungere potuit.

Tantus autem labor irritus iterum temporum tractu magna ex parte evasisset, si singularum ecclesiarum ordinariis remansisset jus, ea quæ sibi visa fuissent, licet non substantialia, immutandi atque corrigendi. Aliis enim atque aliis accessionibus, truncationibusve et abusuum introdu-

ctione, sensim sine sensu liturgia Romana a puritate et unitate Pianæ reformationis aliquando defecisset.

Hinc sanctus Pius V ita breviarium et missale recognitum ecclesiis injunxit, ut simul jus omne ademerit quidquam addendi atque immutandi. Quod et dein alii Pontifices effecere quoad pontificale, rituale et cæremoniale.

Porro summe attendenda est illa legislativæ in res liturgicas potestatis restrictio; ex qua totum nunc jus liturgicum perpendendum atque determinandum est. Dum enim ante Piana decreta semper potuerant, vel ordinarii ecclesiarum prælati, vel saltem concilia provincialia aut regionalia, aliquid pro temporum opportunitate, substantiam tamen non afficiens, addere vel corrigere, jam reservato Sanctæ Sedi omni hujusmodi immutationum jure, nihil possunt propria auctoritate decernere. Reservatio autem hujusmodi ita claris terminis expressa est, ut nulli pateat ambiguitati locus: « Statuentes breviarium ipsum nullo unquam tem« pore vel in totum vel ex parte mutandum, vel ei aliquid « addendum vel omnino detrahendum esse. » « Ac huic « missali nostro nuper edito, nihil unquam addendum, de« trahendum aut immutandum decernendo, sub indignatio« nis nostræ pœna, statuimus et ordinamus. »

Instituta præterea a Sixto V sacrorum rituum congregatio, et data ei potestas atque auctoritas ut quamcumque alterationem a quocumque introductam corrigeret atque profligaret.

Sedes ergo Apostolica, cujus certa est universalem regendi Ecclesiam plena et suprema potestas, quæ, pro hoc sibi a Christo tradito supremo jure, jam ab Ecclesiæ exordiis potuisset omnem legislativam in res liturgicas facultatem ad se revocare, quæ tamen multis sæculis liturgiæ moderationem locorum ordinariis ex parte permisit, decimo sexto tandem sæculo opportunum duxit jus liturgicum sibi strictius reservare et de facto reservavit.

CAPUT X.

BULLÆ PIANÆ DE BREVIARIO ET MISSALI OBLIGATORIÆ FUERUNT QUOAD GALLIAM.

Id duplici modo probari potest : primo quidem quia debuerunt recipi, secundo quia de facto receptæ fuerunt.

I. Nulla est ratio cur dictæ constitutiones non obligatoriæ fuerint quoad Galliæ ecclesias. Ratio enim illa desumeretur vel ex textu ipso decretorum, vel ex aliquo privilegio hujus regionis ecclesiis proprio, vi cujus a recipiendis præfatis bullis exemptæ fuissent: atqui neutrum dici potest. Nam decreta Piana universalia sunt, ut infra ostendetur, quoad ecclesias omnes de jure vel consuetudine adstrictas liturgiæ illi, quæ Pii V tempore *Romana* dici solebat. Et infra etiam probabitur, hoc sensu Romanam fuisse liturgiam totius Occidentis, excepta Mediolana et Mozarabica. Unde, attento constitutionum Pianarum tenore, certum est sub earum dispositione comprehensas fuisse omnes Galliarum ecclesias. Nec aliunde ullo privilegio gaudebant prædictæ ecclesiæ, quo eximerentur a jure liturgico per decreta Piana constituto. Nam quod postea a Gallicanis excogitatum est, non obligare constitutiones Pontificias nisi ab Episcopis acceptentur, vel intelligitur id ita esse de libero Summi Pontificis consensu, vel non : si prius, hoc non fuit proprium ecclesiis Galliæ, sed omnibus mundi ecclesiis commune. Quando nempe legitime supponi potest Papam nolle per suam constitutionem statim obligare ante acceptationem, possunt Episcopi (ut in tractatu *de Principiis* fuse rem probavimus) acceptationem illam procrastinare, modo tamen supplicationem ad sedem Apostolicam dirigant, et remanente obligatione parendi si rescribatur rationes contra legem propositas non probari. Quoad Pianas autem constitutiones, nullibi reperitur Episcopos Galliæ exemptionem ab iis servandis a sede

Apostolica tunc temporis aut petiisse aut obtinuisse. Si vero ita intelligatur necessaria acceptatio Episcoporum, ut non obliget lex pontificia, etiam quando Papa vult eam independenter a tali acceptatione obligare, est opinio falsa (ut in prædicto tractatu ostendimus) et tanquam pestifera prorsus repellenda. Unde revera nulla potest allegari valida ratio cur Pianæ constitutiones obligatoriæ non fuerint quoad Galliam. Ergo Galliarum ecclesias iis constitutionibus pro earum tenore ligatas fuisse dicendum est.

II. Sed constat insuper eas constitutiones de facto in Gallia fuisse receptas; quod sequentia documenta satis palam faciunt.

Concilium Rothomagense anni 1581 : « Christi atque « ejus sponsæ Ecclesiæ mandata observemus...; nec privatas « quorumcumque locorum consuetudines, ac plerumque po- « tius corruptelas, præceptis ejusdem Christi et Ecclesiæ « anteponamus... Quocirca hortamur nostræ provinciæ « Episcopos ut diligenter inspiciant et examinent suarum « diœcesum preculas horarias, breviaria, missalia, agenda « seu manualia curatorum, atque alios libros ecclesiasticos « ac cæremonias, ne quid contineant contrarium doctrinæ « catholicæ, aut veris historiis sanctorum...; sed libros « emendatos quoad fieri potest, servato usu diœcesum, juxta « tamen constitutiones sanctæ memoriæ Pii V super bre- « viario Romano et missali, ex decreto sacrosancti concilii « Tridentini restituto et edito, procurent imprimi... Pro- « moti vero sciant se ad breviarium obligari; ac Romanum « trium quotidie lectionum, a cardinali Sanctæ Crucis com- « positum, a sacrosancta sede Apostolica sublatum, sibi om- « nino prohiberi. » (Apud Labbe, t. XV, p. 823 et 824.)

Concilium Turonense anni 1583 : « Monemusque.... mis- « salia, breviaria, gradualia, aliosque libros ad divinum « cultum necessarios (quibus fere omnes ecclesiæ sunt de- « stitutæ), ut exacte emendentur ad normam a sede Aposto- « lica et constitutione sanctæ memoriæ Pii V præscriptam,

« et intra annum (eorum qui ex consuetudine provinciæ ad « id tenentur impensis) imprimantur, procurare. » (Sub titulo « *de Episcopis*, apud Labbe, t. XV, pag. 1021 et 1022.)

Idem vero concilium sub titulo *de Parœcis, presbyteris et aliis clericis*, sic habet : « Hos autem rectores aliosque « omnes presbyteros tam sæculares quam regulares... ad « horas canonicas singulis diebus recitandas, ad usum bre- « viarii decreto concilii Tridentini editi, vel suarum diœce- « sum quorum usus ante ducentos annos probatus sit, se « obligari, sub pœna privationis omnium fructuum benefi- « ciorum per eos possessorum, quos etiam suos juxta sacro- « rum canonum, præsertim concilii Lateranensis, decreta, et « Pii quinti constitutionem facere non posse ; imo ad eorum « restitutionem teneri, declaramus. » (Apud Odespun, Novissima concilia Galliæ, pag. 355.)

Concilium Remense anni 1583 : « Porro quoniam om- « nes ritus formulæque precandi breviario, missali, et agen- « dis seu manuali continentur, hortamur Episcopos nostræ « provinciæ ut adhibitis saltem, duobus canonicis, quorum « unus ab Episcopo, alter a capitulo eligatur, diligenter in- « spiciant et examinent hujusmodi libros illisque similes, « sicut preculas horarias ; ne quid contineant contrarium « doctrinæ catholicæ et veris historiis sanctorum, aut su- « perstitionibus affine, aut quod aliqua ratione disciplinam « ecclesiasticam morumque probitatem labefactet : atque ubi « indigesta minusque pietati consona breviaria vel missalia « repererint, curent quamprimum et quamproxime fieri po- « terit, ad usum ecclesiæ Romanæ, juxta constitutionem « Pii, V reformari et in lucem emitti, impensis diœcesis. » (Decret. de breviario, missali etc.—Concilia Harduini, t. X, pag. 1279.)

Concilium Burdigalense anni 1583 : « Quoniam vero « inter divina officia eorumque ritus et cæremonias, in sin- « gulis pæne hujus provinciæ diœcesibus magna est notata « diversitas, nec minor eorum librorum penuria existit,

« quæ breviaria, missalia, manualia seu baptismalia nomi-
« namus : ut jam necessitas efflagitet magnum ejus generis
« librorum numerum excudi : ad hæc quia vetustate vel
« optima quæque consenescunt, vel quadam illuvie situque
« obsolescunt; ut propterea non pauca in hujusmodi libros
« irrepserint, quæ recognitione et forsan emendatione opus
« habeant, quod tamen longum nimis esset atque difficile :
« idcirco his, aliisque de causis, nobis visum est unum, id-
« que perfacile, his tot incommodis remedium adhiberi
« posse, si (quod jam facimus) breviario cardinalis a Qui-
« gnonio, quod trium lectionum vocant, cæterisque omni-
« bus suppressis, decerneremus, sicuti tenore præsentium
« decernimus, ut in posterum breviaria, missalia et manua-
« lia ex decreto concilii Tridentini ad usum Romanæ Eccle-
« siæ restituta atque instaurata, et Pii V Pontificis maximi
« jussu edita, ab iis omnibus qui in hac provincia sacra-
« mentorum administrationi incumbere et divino cultui ac
« precibus, missarumque celebrationi ex officio vacare de-
« bent, ad summum ante Adventum proximi anni 1583,
« tam privatim quam publice, recipiantur : eaque sola ubi-
« que et apud omnes in usu sint. Quocirca clerici et eccle-
« siastici noverint se solo prædictorum codicum usu et re-
« citatione obligationi suæ ac muneri esse satisfacturos ; nec
« alia ratione pœnas a sacris canonibus in eos qui debitas
« Deo laudes officiumque non dixerint constitutas, effugere
« posse. Præsenti tamen decreto regulares non magis arcta-
« mus, quam ejusdem Pii V constitutione obligantur. Nos
« interea et singuli coepiscopi propria cujusque diœcesis
« sanctorum officia divulganda separatim, et, si opus fuerit,
« emendanda curabimus. » (Decreto 4. — Concilia Harduini,
« tom. X, pag. 1338.)

Concilium Bituricense anni 1584 : « Si quæ ecclesiæ
« hactenus usæ sunt veteri officio Romano, nuper reforma-
« tum ex concilii Tridentini decreto recipere cogantur. »
(Titulus I, canon 9. — Apud Labbe, tom. XV, pag. 1071.)

Concilium Aquense anni 1585 : « Cupiens hæc sancta « synodus ut omnes ecclesiastici hujus provinciæ, unanimes « uno ore tam in ecclesiis quam privatim honorificent « Deum..., et attendens quod ex constitutione felicis recor- « dationis Pii Papæ V prohibitum est, proprio officio re- « licto, aliud quam Romanum assumere : ideo, cum aliæ « cathedrales ecclesiæ officio metropolitanæ conformari non « possint : statuit hæc synodus, ac omnibus ad quos spectat « præcipit ac mandat, sub pœna excommunicationis, ac alia « arbitratu Episcopi, ut usum breviarii Romani et missalis ex « decreto sacrosancti concilii Tridentini restituti et editi, in « omnibus hujus provinciæ ecclesiis, intra illud tempus quod « hinc ad principium mensis Januarii anni proximi 1586 « interjectum est, omnino introducant. Visum est enim id « magis decere, quam quod unaquæque diœcesis proprium « officium retineret. » (Titulo de *Missali et breviario,* apud Labbe, tom. XV, pag. 1134 et 1135.)

Concilium Tolosanum anni 1590 : « Sed ut major chri- « stianorum sit inter se consensio, horæ canonicæ tum pri- « vatim tum publice ex breviarii Romani præscripto reci- « tentur. » (Cap. 4, apud Labbe, tom. XV, pag. 1388.)

Provincia Auxitana pariter liturgiam S. Pii V recepit, ut probat sequens statutum capituli Lascariensis : « Post una- « nimem rectæ fidei confessionem, placuit ut nihil dissonum « aut diversum agamus in iis rebus quæ ad Dei gloriam et « debitum canonicorum officium in ecclesia peragendum « spectant : ne quælibet nostra diversitas apud ignotos seu « carnales schismatis errorem videatur ostendere, et multis « extet in scandalum varietas officiorum. Unus ergo juxta « morem provinciæ nostræ Auxitanæ, orandi atque psallendi « a nobis ordo conservetur : unus modus in missarum cele- « bratione : una et eadem in sacro cultu uni Deo exhibendo « formula ; secundum Romanum usum ex decreto concilii « Tridentini restitutum ac præscriptum : nec diversa sit « ultra in nobis breviariorum, missalium, aut aliorum libro-

« rum ecclesiasticorum consuetudo : quia sub eodem capite « Christo Domino nostro, et sub uno ejus in terris vica- « rio, atque sub eadem regula, in una fide, in eodem choro « continemur et regno : hoc enim et antiqui canones, ac « novæ etiam Summorum Pontificum constitutiones decre- « verunt, ut clerici uniuscujusque cathedralis ecclesiæ, et « psallendi et ministrandi parem ritum ac consuetudinem « teneant. » (L'Estat des Cathédrales, par Bordenave, page 150, Paris 1643.)

Statuta e quibus citatio hæc desumpta est, fuerunt *per reverendissimum Episcopum, cum dominis canonicis capitulariter edita..., sedente Urbano VIII.* (Loco citato.)

Concilium Narbonense anni 1609 : « Ideo ut in omnibus « unitas sit in Ecclesia quæ una est : a quibuscumque ec- « clesiasticis, tam metropolitanæ, cathedralium, collegiata- « rum, aliarumque ecclesiarum officium recitari in choris « et ecclesiis decantari præcipimus et mandamus, juxta ritum, « ordinem, modum et formam a felicis memoriæ Pio Papa « hujus nominis quinto præscriptam, per bullam super re- « formatione breviarii editam : quam nos recipimus, et in « tota provincia recipi volumus, et præsentis nostri decreti « publicatione sufficienter promulgatam declaramus : contra « eamdem agentes, pœnas per ipsam latas eis indicimus et « significamus. » (Titulo *de Missali et officio divino*, apud Labbe, t. XV, p. 1616.)

His tanquam Galliæ vicina addi potest provincia Mechliniensis in Belgio. Sic nempe decrevit concilium Mechliniense anni 1570 : « Mandat etiam synodus, ut omnes se accommo- « dent in lectione horarum tenori bullæ Apostolicæ per « Pium Papam quintum editæ, et hic publicatæ. » (De officio et cultu divino, cap. 16. — Apud Labbe, t. XV, p. 799.)

Et concilium item Mechliniense anni 1607 : « In eccle- « siis quæ necdum recepto usu Romano proprium officium « adhuc servant, vel recepto etiam usu Romano propria « quædam officia patronorum suorum illi admiscent, si Apo-

« stolica auctoritate necdum ejusmodi officia recognita et « debite ab incertis et apocryphis purgata ac correcta sint, « intra sex primos menses id fiat. » (Apud Labbe, t. XV, pag. 1553.)

Constat præterea in provincia Avenionensi, Arelatensi, et Ebredunensi receptum fuisse S. Pii V breviarium et missale.

Porro enumeravimus omnes Galliæ provincias ecclesiasticas præter Lugdunensem, Viennensem et Senonensem. Ex eo autem quod tres illæ provinciæ suas liturgias retinuerint, non sequitur bullas S. Pii V apud eas non fuisse receptas, cum juxta earumdem bullarum tenorem potuerint, ob possessionem ducentis annis antiquiorem, sua breviaria et missalia legitime retinere.

Unde, in duodecim Galliæ provinciis recepta fuisse S. Pii V decreta *positive* constat : in tribus autem reliquis non constat eadem decreta rejecta fuisse : ergo generatim concludi debet in Gallia receptam fuisse et vim habuisse legem S. Pii V circa liturgiam. Ergo revera bullæ Pianæ circa breviarium et missale obligatoriæ fuerunt quoad Galliam.

Non tantum receptæ in Galliis fuerunt bullæ Pianæ, sed etiam ultra id quod præscribebant peractum est : nam plures hujus regionis ecclesiæ quæ suas liturgias, ducentis annis antiquiores, retinere potuissent, majoris tamen cum Romana Ecclesia consensionis zelo, eas abjecerunt, et missale breviariumque S. Pii V sibi assumpserunt. Quod historice expositum et documentis firmatum reperies in laudato opere reverendi P. Guéranger Solesmensis abbatis, cui titulus, *Institutions liturgiques*.



PARS QUARTA.

HODIERNUM JUS COMMUNE CIRCA LITURGIAM.

Præcipuam atque utiliorem hujus tractatus partem aggredimur. Id enim scitu maxime necessarium, atque in tractatu de jure liturgico omnino exponendum, quid hodie juris sit per diversas orbis catholici ecclesias circa liturgiam. Cui tamen quæstioni debuit ut patet sterni via, præmissis de natura liturgiæ et de norma in variis retro sæculis obtinente notionibus. Dum autem hic de hodierno *jure communi* acturi sumus, ut omnis præcaveatur æquivocatio, præmonemus vocem illam *jus commune* a nobis intelligi per oppositionem ad jus quod forte in aliqua ecclesia ex privilegio aut indulto particulari vigeret; non autem eo sensu quod leges Ecclesiæ unum atque idem jus liturgicum in toto orbe servandum decernant. Videbimus e contra a jure hodiedum vigente varias distingui ecclesiarum classes sive categorias, et suas cuique (non omnino easdem), leges imponi liturgicas. Eas porro leges hodiernum *jus commune* vocamus.

CAPUT I.

HODIERNUM JUS LITURGICUM QUOAD ORIENTALES ECCLESIAS.

Splendidum olim catholicum Oriens, jam a multis sæculis generali fere ruina in hæreses et schismata prolabendo misere occubuit.

Servatæ tamen a tam lugendo casu non paucæ ecclesiæ, quæ nunquam ad ritum latinum migrare jussæ sunt; sed antiquo quæque suo more et idiomate rem liturgicam hodiedum peragunt. Qui ritus a latino diversi, etiam in nonnul-

lis occidentalibus regionibus reperiuntur. Circa omnes hujusmodi ecclesias, ritibus a latino diversis addictas, inquirendum occurrit quonam hodie regantur jure liturgico. Illa autem quæstio breviter et facile expediri potest, ostendendo dictis ecclesiis omnibus a sede Apostolica impositas fuisse determinatos ritus et determinatas librorum liturgicorum formulas, ea lege ut a nullo, etiam Episcopo aut patriarcha, quidquam absque ejusdem sedis venia immutari possit; ac proinde earum ecclesiarum ordinariis sublatum fuisse priscum jus commune, suas liturgias corrigendi atque in non substantialibus immutandi. Sit ergo

Propositio. — *Jam a multo tempore ecclesiarum orientalium ordinariis ablata est potestas legislativa in liturgiam, ita ut remaneat sedi Apostolicæ reservata.* Ad quam thesim probandam satis erit citasse constitutiones quasdam Benedicti XIV quæ rem patefaciunt. Sic habet in bulla *Demandatam* (in ipsius Bullario tom. I, bulla 87) : « De ritibus igitur et moribus Ecclesiæ græcæ illud inprimis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse aut licere quovis titulo et colore, et quacumque auctoritate aut dignitate, etiamsi patriarchali aut episcopali, præfulgeat, quidquam innovare, aut aliquid introducere, quod integram exactamque eorum observationem imminuat. Hinc est, quod Euthymii olim archiepiscopi Tyri et Sidonis, viri alioquin catholici, reique christianæ propagandæ studiosissimi, factum (alias ab hac sede Apostolica de anno 1716 improbatum), iterum cogimur reprobare; inductamque ab eo auctoritate propria, inconsultoque Romano Pontifice, nonnullarum Ecclesiæ græcæ consuetudinum immutationem, revocamus, atque irritam fuisse et esse decernimus; omnesque in posterum et singulos Ecclesiæ græcæ ritus et mores a patribus traditos omnino servari mandamus. » His generatim statutis, Benedictus XIV varia in specie determinat, circa quæ prohibet ne ulla fiat immutatio; verbi gratia : « Simili modo nullam innovationem fieri debere decre-

« vimus in eo quod respicit celebrationem sacrosancti missæ « sacrificii, quod unicum in singulos dies super quolibet altari « offerri, veterum sanctorum Ecclesiæ græcæ Patrum præ- « cepto et consuetudine traditum est. » Permittit postea ut, juxta decretum S. Congregationis de propaganda fide diei 31 Martii 1729, plura altaria in eadem ecclesia erigantur, et ut plures sacerdotes simul cum Episcopo in eodem altari con-celebrent. Tum circa missale ita subjungit : « Ut autem a « sacerdotibus græco-melchitis in sacris mysteriis peragendis « una et eadem cæremoniarum ratio, iidemque ritus serven- « tur, et ne aliqua sensim in iisdem obrepat difformitas; « mandavimus typis Congregationis de propaganda fide im- « primi missale ad usum illorum Ecclesiæ, juxta rubricas « remotissima antiquitate firmatas; quod, absoluta editione « sacrorum librorum ritus coptici, qui sub prelo sunt, in- « cessanter impleri curabimus. »

In bulla *Etsi pastoralis*, quæ est quinquagesima septima in tomo primo Bullarii Benedicti XIV, § 18, prohibentur Italo-græci ne aliis ecclesiasticis libris in sacramentorum administratione et missis divinisque officiis celebrandis utantur, *nisi iis qui per Congregationem a sancta sede Apostolica emendationi librorum hujusmodi deputatam, correcti, typisque impressi fuerint.*

In constitutione autem quæ incipit *Ex pastorali* (Bullarii sui tom. IV, p. 223), sic statuit quoad ecclesias ritus slavo-latini : « Postquam aliis nostris editis constitutionibus, ni- « mirum quinquagesima septima cui initium *Etsi pastoralis*, « et octogesima septima incipiente *Demandatam cœlitus*, « quæ extant in Bullarii nostri tomo I, p. 167 et 290, græ- « corum rituum conservationi et integritati, pro Italo-græ- « corum et Græco-melchitarum nationibus abunde providi- « mus; eamdem nunc sollicitudinis nostræ curam ad illyricam « nationem convertentes, suprema qua fungimur apostolica « auctoritate volumus, præcipimus atque mandamus, ut « ecclesiastici omnes et sacerdotes tam sæculares quam cujus-

« cumque ordinis aut instituti regulares, qui ritum slavo-
« latinum profitentur, in augusto altaris sacrificio, et in
« horis canonicis aliisque divinis officiis persolvendis ac
« obeundis, missalia, tabellas et breviaria characteribus hie-
« ronymianis impressa typis Congregationis propagandæ
« fidei, quæque in posterum ibidem imprimentur.... adhi-
« bere debeant et teneantur : utque in posterum nemo ex
« prædicto clero, in missis celebrandis, aut in divinis officiis
« persolvendis orationes et preces, quæ nostra et Apostolicæ
« sedis auctoritate examinatæ non fuerint et approbatæ,
« recitare, aut quoquo modo adhibere audeat seu præsumat..
« Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam in synodalibus
« forsan aut provincialibus conciliis editis constitutionibus
« aut decretis, privilegiis quoque et indultis. »

In constitutione tandem quæ incipit *Ex quo primum* (Bullarii sui tom. IV, pag. 365 edit. Romæ 1770), narrat Benedictus XIV, quantis et quam diuturnis curis perfectum et typis mandatum fuerit *euchologium* græcum, qui liber est simul missale, rituale, pontificale et cæremoniale Græcorum : « Ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque ritus græci eccle-
« siasticos, sæculares et regulares, gratiam et communio-
« nem sedis Apostolicæ habentes, — Benedictus Papa XIV.
« — Venerabiles fratres, dilecti filii, salutem et apostoli-
« cam benedictionem.. Illud nobis propositum nunc est ut
« vos, venerabiles dilectosque filios, certiores faciamus,
« absolutum jam esse opus correctionis græci euchologii,
« idque jam typis ejusdem Congregationis de propaganda
« fide impressum fuisse, post diuturnum rerum omnium
« examen, accuratissima castigatione emendatum. » Exponit dein dictus Pontifex quomodo tractu temporis necessariæ evadant librorum liturgicorum emendationes : « Quem-
« admodum, inquit, in ipsa quoque occidentali Ecclesia,
« quantumvis præ orientali minoribus periculis exposita
« sit, evenisse dignoscitur : Quocirca Romani sæpe Ponti-
« fices coacti sunt opportune consulere ut missalia, ritualia,

« breviaria et martyrologia emendarentur et castigata novi-
« ter ederentur. Verum quod attinet ad correctionem vestri
« euchologii, quod, ut optime nostis, nihil aliud est quam
« collectio ecclesiasticarum precum atque benedictionum,
« ideoque, ut Goarius explicat, Ecclesiæ vestræ rituale seu
« manuale, aut sacerdotale et pontificale commode appellari
« posset, duo potissimum his nostris litteris agenda susce-
« pimus. » Hic narrat Benedictus XIV, quomodo græci euchologii emendandi opus ab Urbano VIII et Innocentio X inceptum, postea interruptum, a viris dein doctissimis quorum nomina recenset summo studio instauratum, compulsis præcipue veteribus euchologiis græcis, tandem absolutum feliciter fuerit. « Nos autem omnibus perlectis et
« mature pensatis, easdem (congregatorum sententias atque
« resolutiones) prout in Domino expedire visum est, appro-
« bavimus et confirmavimus. Et hac quidem servata me-
« thodo absoluta est euchologii correctio, et nova ejusdem
« editio elapso anno 1754 typis Congregationis de propa-
« ganda fide impressa est. » Discussis autem per longum multis magni apud Græcos momenti quæstionibus, sic concludit præfatus Pontifex (§ 75) : « Hæc vobis exponenda
« censuimus, venerabiles fratres, dilecti filii, per has nostras
« encyclicas litteras, ut et causas intelligatis ob quas Apo-
« stolica sedes laboriosam hanc provinciam jamdudum sus-
« cipiendam existimavit, ut euchologii vestri correctioni
« manus apponeret; et vobis compertum sit, qua diligentia,
« quo studio, et quam æqua prudentique ratione susceptum
« opus peractum fuerit. Intacta relicta sunt omnia quæcum-
« que reperta sunt in iis euchologiis quæ antiquitate et au-
« ctoritate cæteris præstant : nihil ademptum aut emenda-
« tum est, nisi quod in recentiores quasdam editiones
« nonnullorum oscitantia aut malitia irrepsisse apparuit....
« Vestrum erit in posterum correcta hac euchologii editione
« uti, ac diligenter curare ut, si nova aliqua ejusdem editio
« fiat, ea ad normam hujus omnibus numeris exigatur; quo

« interclusus sit aditus erroribus omnibus et absurdis, quæ « superioribus temporibus in alias quasdam editiones irre- « pserunt easque fœdarunt. »

Dum ibi dicitur *vestrum erit in posterum hac editione uti*, etc., præceptum intelligendum est, non simplex cohortatio. Aliunde certum est jam non posse græcas ecclesias libris liturgicis uti, nisi a Congregatione, pro correctione librorum hujusmodi instituta, recognitis; quæ congregatio euchologia græca a prædicto diversa non approbat.

Ex præcitatis Benedicti XIV constitutionibus, satis elucet orientalium ecclesiarum ordinarios jam carere potestate illa legislativa in liturgiam, qua olim eis licebat formulas et ritus in quibusdam non substantialibus corrigere, addere et immutare; atque illam potestatem jam sedi Apostolicæ esse omnino reservatam. Quo tempore et qua ratione quoad diversas Orientis ecclesias Romani Pontifices totalem illam reservationem statuerint, cum ad scopum nostri tractatus exquirere non pertineat, exponendum relinquimus iis qui de liturgiæ historia ex professo tractant. Id certum est jam a non parvo tempore, sicut Occidentis ecclesiis S. Pii V breviario et missali adstrictis, ita et Orientis ademptam esse potestatem omnem legislativam circa res liturgicas, id est, potestatem formulas et ritus addendi, detrahendi et immutandi. In cujus conclusionis confirmationem adduci etiam potest sequens S. Congregationis rituum declaratio :

« Sanctissimus, cui valde cordi est ut orientales ecclesiæ « mores et ritus ab Apostolica sede approbatos exacte cus- « todiant, præfatas innovationes (1) et si quæ aliæ apud eos « vigeant contra proprios ritus, expresse vetat ac prohibet, « eisque mandat, ut tam circa sacras cæremonias in missa, « et divini officii recitationem, ac festivitates sanctorum ce- « lebrandas, a propriis rubricis et calendario non recedant... « Et hoc decretum nomine Sanctitatis suæ a sacra rituum

(1) A monachis armenis, ordinis S. Antonii, Venetiis degentibus, introductas.

« Congregatione publicari mandavit hac die 22 Julii 1751. »
(Apud. Gardellini, numero 4070.)

Eam autem summi momenti reservationem potuisset Apostolica sedes statim ab Ecclesiæ exordiis sancire, cum nullo tempore Christi in terris Vicarius plena universalem Ecclesiam regendi, ac proin circa liturgiam etiam decernendi, potestate caruerit. At quæ Romanis Pontificibus pro suprema eorum auctoritate licent, non omnia omni tempore æque expediunt; hinc quemadmodum Episcoporum electionem olim populo et clero permissam, atque eorumdem graviores causas synodi provincialis judicio terminari solitas, aliquando ad se retrahendas Apostolica sedes opportunum duxit, ita et majori liturgiarum integritati consulens, diu permissam ordinariis earum regulationem, ortis tractu temporum tum in Occidente tum in Oriente abusibus et periculis, sibi aliquando reservavit. Id potuit, id fecit sedes illa quæ ceteras judicat et a nulla potest judicari : remanet ergo obsequendi necessitas, non carpendi aut obsistendi facultas. Quanta autem sapientia ita ultimis sæculis de liturgia cautum, sit, facili calamo describeremus nisi res omnium oculis per se pateret, et in ipsismet Romanorum Pontificum citatis constitutionibus occurreret expositum.

CAPUT II.

JUS LITURGICUM ECCLESIARUM LATINARUM A S. PIO V QUOAD BREVIARIUM ET MISSALE CONSTITUTUM.

Summi momenti est bullarum Sancti Pii V, quarum altera *Quod a nobis* initio breviarii, altera *Quo primum tempore* initio missalis romani præfigi solet, textum ipsum accurate expendere; ut quodnam inde ortum sit jus liturgicum recte discernatur. Cum autem nuper in Gallia magno animorum æstu de hac re disceptatum sit, et opinionis quam erroneam existimamus et confutandam suscipimus ii sint patroni, qui vix ferant a quoquam scriptore in

contrarium sensum disseri, atque in dissentientes tanquam in temerarios novatoresque viros declament atque animadvertant, tam alte defixis præjudiciis obviam eundum putavimus. Doctrinam scilicet, in quam acriter insurgunt, bona fide novam reputant; quod si verum esset, laudabili certe zelo arcendam procurarent. Eos igitur sic ego alloquar : Si nova sit quam repellitis, de jure liturgico ex Pianis decretis exurgente, doctrina, me vobis consentientem habetis : at faveatis vel semel pacato animo perlegere quid communiter doctores catholici de hac re senserint. Atque in hoc satis prudenter forte non egisse eruditissimum Solesmensem abbatem fatemur, quod theologorum et canonistarum de illa quæstione sententias non collegerit atque præmiserit; quas si prævio notas habuissent contradictores, novitatis quam exprobrant, ne suspicio quidem eorum mentem invasisset. Rem facilem atque omnibus obviam omisit egregius scriptor, pro difficilibus tamen Galliæ circumstantiis forte non negligendam.

§ I.

Quomodo doctores catholici jus liturgicum a S. Pio V constitutum communiter intellexerint.

1. *Doctrina Suaresii :* « Inquiri potest quam formam « divini officii teneantur singulæ ecclesiæ in suis choris ob« servare; id est, an teneantur officium dicere juxta formas « breviarii hujus vel illius episcopatus, vel secundum for« mam Ecclesiæ Romanæ. Cui quæstioni breviter satisfieri « potest per constitutionem Pii V in bulla confirmationis « sui breviarii; ubi prius revocat omnes alios recitandi mo« dos in aliis brevariis contentos, his exceptis qui *ex insti« tutione a sede Apostolica approbata vel consuetudine « quæ, vel ipsa institutio, ducentos annos antecedat*, re« tenti fuerint. Deinde præcipit in hunc modum : *Omni ita« que alio usu, quibuslibet, ut dictum est, interdicto, hoc « nostrum breviarium, ac precandi psallendique formulam*

« *in omnibus universi orbis ecclesiis, monasteriis, ordini-*
« *bus et locis, etiam exemptis, in quibus officium ex more*
« *et ritu dictæ Romanæ Ecclesiæ dici debet aut consuevit*
« (*salva prædicta institutione vel consuetudine prædictos*
« *ducentos annos superante*), *præcipimus observari*. Et
« deinde declarat, quocumque alio modo recitetur, non sa-
« tisfieri huic obligationi. Posteà vero Clemens VIII, licet no-
« vum breviarium imprimi fecerit, formam illam non im-
« mutavit, sed a mendis quæ irrepserant expurgavit, paucis
« additis vel immutatis. »

« Huic ergo legi standum est, et secundum hanc formam
« est in choro psallendum... Unde grave peccatum esset
« quacumque alia forma uti in ecclesiis tam sæcularibus quam
« regularibus sub illa exceptione non comprehensis; quia
« præceptum est satis expressum et materia satis gravis,
« pertinensque ad substantiam divini officii. » (De religione,
t. II, tractatu VI, lib. IV de horis canonicis, cap. XI, n. 3.)

« Circa limitationem autem in eadem lege additam, de his
« ecclesiis, quæ breviario approbato per consuetudinem du-
« centis annis antiquiorem utentur (1), quod ad usum chori
« attinet, certum est non teneri ad recitandum officium in
« choro juxta breviarium hoc Romanum, quia in ipsa lege
« excipiuntur. Certum secundo est, posse illud acceptare, si
« velint, ex consensu Episcopi et totius capituli, quia in ipsa
« etiam constitutione hoc expresse conceditur. Cui addo
« tertio, quod si semel hoc modo acceptetur, non poterit
« postea sine pontificis auctoritate relinqui; quia per illam
« acceptationem antiqua consuetudo revocata est, et prius
« breviarium quasi abolitum, et privilegio in illa excep-
« tione contento fuit renuntiatum; et ideo ad antiquam
« consuetudinem iterum propria auctoritate rediri non po-
« test, sed lex Pii V jam ibi obligat. Quarto assero, sine
« consensu Episcopi et totius capituli, non posse in illis diœ-

(1) Deest illa vox *utuntur* in editione Venitiana anni 1743, sed evidenter supplenda est.

« cesibus pro usu chori recedi ab antiquo usu; ac subinde « ibi servandum esse jus commune, quod habet, omnes in« feriores ecclesias conformari debere metropolitanæ. (Cap. « penult. et ult. d. 12.) Quæ regula cum proportione ad « regulares ecclesias applicatur, ut unaquæque sui ordinis « ritum sequi debeat, quando illa antiquitate gaudet eam« que vult retinere. Quod si ex simili et æque antiqua con« suetudine diœcesis episcopalis proprium habuerit brevia« rium, credo posse illud retinere, et non posse mutari nisi « cum prædicta conditione consensus Episcopi et totius ca« pituli; quia Pius V expresse loquitur de breviariis ab « Episcopis in suis diœcesibus pervulgatis, et postea illa « comprehendit in exceptione, et ut relinqui possint non « postulat metropolitani consensum, sed Episcopi et uni« versi capituli. Cum autem dicit *universum*, non postulat « ut omnes de capitulo, nullo discrepante, consentiant; id « enim moraliter expectandum non est; nec vis verbi hoc « postulat, sed solum quod consensus præstetur a capitulo « ut capitulum est, id est, per modum unius corporis mys« tici ad hoc congregati; et tunc universum consentit quando « major pars vincit, nisi jure expresso amplius requiratur. » (Suarez, de Relig., tom. II, lib. IV, de horis can., cap. 11, n. 4.)

Expendit postea Suarez, an in ecclesiis quæ, cum tenerentur liturgiam Pianam amplecti, eam tamen non amplexæ sunt, possit alia liturgia *ex consuetudine* fieri legitima. Et antequam *negative* respondeat, ita ipse sibi objicit :

« Occasio dubitandi est quia potest alicubi non esse re« cepta (lex Pii V), nec moribus introducta; non titulo anti« quæ consuetudinis, sed ex negligentia vel resistentia Epi« scoporum seu Prælatorum; quæ in initio potest esse ini« qua, usu tamen et duratione prævalere : cum enim hæc lex « humana sit, poterit consuetudine contraria abrogari « ergo non repugnat alicubi ita accidisse; ibi ergo non

« obligabit hæc lex, retiuerique poterit aliud breviarium « etiam pro usu chori, licet non excedat ducentorum anno- « rum antiquitatem. »

Cui objectioni, thesim stabiliendo, respondet laudatus auctor hoc modo :

« Dicendum est tamen, inprimis hactenus non fuisse per « novam consuetudinem huie legi alicubi derogatum; quia « Pontifices nunquam consenserunt tali consuetudini vel ex- « presse vel tacite. Quin potius Clemens VIII statuit ut quod « Pius ordinavit ratum et inviolatum conservetur. Deinde « dico illam legem non tantum esse præcipientem, sed etiam « irritantem omnia alia breviaria quæ infra ducentos annos « initium habuere. Quare *nulla consuetudine* restitui pos- « sunt; ac subinde officium illud jam non potest esse canoni- « cum, neque aptum ut per illud obligationi chori satisfiat. Et « ex hac parte existimo omnes posteriores consuetudines ita « esse per hanc legem reprobatas, ut contra eamdem legem præ- « valere non possint. Unde fit, si in aliqua provincia si- « milis consuetudo, vel breviarium non ita antiquum ut pos- « tulatur in brevi Pii V contra illius dispositionem indebite « retineatur, non obligari clericos vel parochos ad illum « recitandi modum, sive in choro sive extra illum; sed po- « tius per se loquendo obligari lege pontificia, ut infra latius « dicam. » (De relig. tom. II, lib. IV de horis canonicis, cap. 11, n. 5.) Idem iterum inculcat Suarez his verbis :

« Sed quid si alicubi non esset receptum breviarium « Pii V, non quia de se ibi etiam non obligaret, sed ex ne- « gligentia Prælatorum, qui, licet non uterentur prius bre- « viario antiquiori ducentis annis, novum romanum intro- « ducere et promulgare neglexerunt? Suppositis autem quæ « de choro diximus, hoc parvam habet dubitationem. Dixi « enim consuetudinem illam pravam esse, et contra hoc « præceptum, antiquum breviarium non prævalere. Unde « consequenter assero, ubi id accidisset, posse licite omnes « clericos privatim recitare juxta romanum breviarium;

« quia non possunt obligari ad imitandum (1) ritum iniqua « consuetudine retentum et pontificia auctoritate efficaciter « abrogatum. Imo assero clericos singulos ad hoc teneri, si « commode possint ; quia per se obligantur præcepto pon- « tificio, quod non pendet ex Episcopi vel matricis ecclesiæ « acceptatione, nec ex nova promulgatione in partibus sin- « gulis facta ; quia Romæ facta sufficit, cum lex ipsa ex- « presse aliam non requirat, sed contrarium expresse de- « cernat » (De relig. tom. II, lib. IV , cap. 23, n. 10) (2.)

Parcat lector quod Suaresium ita per longum transcripserimus : scholæ enim sensum inquirimus, et totam scholam, ut aiebat Bossuet, repræsentat Suaresius. Unde et in reliquis adducendis testimoniis magis licebit brevitati consulere.

II. *Reginaldi doctrina :*

« De qualitate (breviarii) requisita. — Ad hanc qualita- « tem duo pertinent : alterum est ut breviarium ex quo « horæ canonicæ recitantur, sit approbatum ab Ecclesia ; « quale est solum Romanum novum, jussu Pii V editum, « et alia quæ ante illud 200 annis per statutum aut con- « suetudinem introducta fuerunt cum approbatione sedis « Apostolicæ : quod constat ex bulla ejusdem Pontificis ei- « dem breviario præfixa ; per quam sic abrogantur cætera « omnia breviaria, ut horas canonicas ex eis recitantes sta- « tuantur non satisfacere præcepto ecclesiastico. Alterum est « modus recitandi... » (Praxis fori pœnitentialis, lib. 18, s. 6.)

« Adverte autem... olim quidem Episcopum justa de causa « potuisse dispensare cum subdito suo, ut secundum formam « alterius episcopatus horas canonicas recitaret, eo quod « potuit propriam episcopatus formulam recitandi immutare,

(1) Forte non legendum est *imitandum*.

(2) Opinionem eorum qui nolunt in libris liturgicis quidquam inseri nisi ex Scripturis canonicis vel traditione apostolica depromptum, confutat Suarez ibid., cap. 2, n. 2. — Et varietatem in liturgia non esse legitimam nisi a sede Apostolica expresse vel tacite approbetur, cap. 1, n. 13.

« et per. consequens in ea dispensare; sicut et instituere « novas festivitates, ad quas sequitur ordinatio novi officii. « Sed post editum a Pio quinto breviarium et promulgatum « cum bulla eidem præfixa, per quam idem Pontifex, pro « summa sua auctoritate, talem immutationem vetuit, et « præcepit ut omnes clerici in toto orbe christiano secun- « dum formulam in eo breviario positam, horas canonicas « recitarent (exceptis iis qui per breviaria ante ducentos « annos composita et approbata recitabant), prædicta Epi- « scoporum potestas suspensa est, propter abusus quorum « fit mentio in eadem bulla. Ita ut clerici quoad formam « breviarii servandam in recitatione horarum canonicarum, « jam non teneantur ut antea lege speciali sui Episcopi vel « Archiepiscopi, sed universali Summi Pontificis, quam in- « ferior tollere non potest nec limitare » (loco citato, n° 171, tom. II, pag. 120, editio Lugduni 1616).

III. *Doctrina Salmanticensium* :

« Quam breviarii formam teneantur sequi qui debent horas « canonicas tam in communi quam in particulari recitare ?— « Ad principale hujus puncti quæsitum respondemus : quod « post motum proprium S. Pii V qui habetur initio brevia- « rii, et alium Gregorii XIII qui habetur initio festorum « Hispaniæ, tenentur omnes ecclesiastici, tam regulares quam « sæculares, sequi formam breviarii Romani; exceptis reli- « gionibus et ecclesiis quas constat habuisse speciale bre- « viarium per ducentos annos ante institutionem hujus a « S. Pio V recogniti et emendati, ut constat ex ejus bullis.

« Atvero si ecclesia cathedralis, collegialis, aut regularis « quæ habuerat breviarium ante ducentos annos illud relin- « quere vellet, et se cum Romano conformare, hoc debet « fieri cum consensu capituli et superioris illius. Si vero « suum retinere velit et Romanum non accipere, probabilius « ducimus clericos et regulares privatim recitantes, posse, « si velint, vel recitare secundum breviarium suæ ecclesiæ, « vel secundum Romanum... »

« Sed rogabis primo : an sit modo peccatum mortale « recitare juxta aliud breviarium quam S. Pii V ubi est « receptum; et idem est de una religione si recitaret juxta « breviarium alterius. » (Citatis auctoribus qui contendunt bis aut ter ita recitare, non sufficere ad mortale, quia sub præceptum cadit officium canonicum, non vero accidentalis illius qualitas, illam opinionem ita confutant Salmanticenses :)

« Probabilius ducimus esse peccatum mortale talem « mutationem in casu nostro, etiam semel aut iterum « factam, et probatur hoc : tum quia S. Pius V in dicto « motu proprio sic dicit : *statuimus quoscumque qui « tenentur ad horas canonicas, teneri ad dicendum ex « præscripto hujus breviarii, et neminem ex his, nisi « hac sola formula satisfacere posse.* Quid clarius ? « Tum etiam quia aliud breviarium præter Romanum, « absolute non continet officium canonicum, sed pro illis « dumtaxat ecclesiis quæ illo usæ sunt ante ducentos « annos : ergo tenetur iterum recitare, unde infertur « non esse verum quod aliqui dicunt, quod qui non ha- « beret breviarium proprium, haberet tamen alienum « a Romano, teneretur juxta illud recitare; quia hic da- « tur duplex præceptum, et de recitatione et de hac for- « mula, qui non potest primum adimplere, teneretur ad « secundum. Hoc vero non admittimus : tum quia in tali « breviario respectu istius non datur officium canonicum; « tum etiam quia S. Pius V in allegatis verbis asserit, ne- « minem ex his qui juxta breviarium Romanum tenentur « recitare, *nisi hac sola forma satisfacere posse*. Tum de- « nique quia unum et indivisibile tantum præceptum datur « de recitatione et de recitatione sub ista forma. Alias si « duplex esset præceptum, duplex committeret peccatum in « confessione exprimendum qui divinum officium omitte- « ret, quod non dicunt prædicti auctores : ergo qui non « potest præceptum implere sub illa forma, ab eo liber

« manet »(Salmanticenses, tract. 16, de horis canonicis, c. 1, punctum 4).

« Inquires quarto : an Episcopus instituere possit ut « totus clerus suæ diœcesis festivitatem alicujus sancti cele« bret, cum juxta rubricas breviarii Romani de alio sancto « vel de feria recitandum erat ? — Resp. negative per se « loquendo et præciso alio privilegio; quia ritus et forma « breviarii Romani servanda est, cum sit præceptum Pon« tificis, ut quilibet juxta breviarium Romanum recitet, et « nullus inferior possit in lege superioris dispensare... Di« ximus... præciso privilegio : tale privilegium habent His« pani propter concessionem a Gregorio XIII in bulla edita « anno 1573 quæ incipit *Pastoralis officii*, ubi sic dicitur : « *Unamquamque Hispaniæ ecclesiam, eorum tantum san-* « *ctorum, qui in breviario non sunt descripti, officia propria* « *celebrare posse, qui vel illius diœcesis sunt naturales,* « *vel ejus ecclesiæ vel diœcesis sunt patroni, vel eorum* « *corpora seu notabiles reliquiæ in ea ecclesia vel diœcesi* « *quiescunt*. Quo quidem privilegio alios extra Hispaniam « certissimum est non gaudere, cum sit pro sola Hispania « concessum. » Probant deinde Salmanticenses dictum privilegium non abrogatum fuisse per decretum S. Congregationis rituum jussu Urbani VIII initio breviarii appositum. (Loco citato.)

IV. *Doctrina Castropalai :*

« Quodnam officium divinum debeant supradicti clerici, « beneficiati et religiosi recitare? — Respondeo omnes esse « obligatos recitare juxta formulam breviarii Romani Pii V « et Clementis VIII, exceptis solum iis, in quorum ecclesiis « vel conventibus, ducentis annis ante Pium V, aliud bre« viarium fuerit institutum vel consuetudine approbatum. « Sic habetur in supradicta bulla Pii V et Clementis VIII « initio breviarii Romani præfixa. Hinc infertur male An« gelum (verbo *Hora*, n. 12) existimare ordinatum ad titu« lum patrimonii posse officium recitare secundum formam

« quæ illi magis placuerit, quia nulli ecclesiæ addictus est. « Nam ex eo quod non sit addictus ecclesiæ quæ consuetu- « dinem habeat ducentis annis antiquiorem, præcepto et « constitutione Pii V efficitur, tunc obligatum esse recitare « juxta formam præscriptam a Pio V, quæ omnes clericos, « beneficiatos et religiosos comprehendit, exceptis solum « qui sunt illius ecclesiæ in qua est supradicta consuetudo; « et ita docet ut certum Suarez (l. IV, c. 23, n. 4), Lessius « (c. 37, n. 75), Bonacina, Reginaldus, Azor et alii. »

« Hi autem excepti poterunt ex consensu Episcopi et totius « capituli breviarium Romanum admittere, excluso suo anti- « quiori : constat ex supradicta bulla. Cum autem exigitur con- « sensus *universi* capituli, non debet intelligi consensus om- « nium singulorum capituli...; sed sufficit consensus majoris « partis capituli... »

« At si semel ex consensu Prælati et capituli breviarium « Romanum fuerit admissum, nullo modo licebit ad pristinum « redire, sed necessario Romanum retinendum est : quia jam « per illam receptionem breviarii Romani, abrogatum et cas- « satum fuit antiquum, et urget præceptum Pii V et Clemen- « tis VIII de recitando juxta formulam illius breviarii; et « exceptio cessavit, quæ solum fuit dum ab Episcopo et « capitulo breviarium romanum approbatum non fuerit. »

« Circa hujusmodi præceptum dubitatur primo an obli- « get sub gravi culpa singulis diebus juxta formam breviarii « Pii V præscriptam recitare? Non desunt qui affirment non « esse peccatum mortale, uno vel altero die illam omittere, « recitando juxta formam Dominicanorum, Cisterciensium, « aut aliarum ecclesiarum... Nihilominus tanquam certum « habendum est peccare mortaliter obligatum recitare juxta « formulam breviarii Romani, si illam omittens recitet uno « die juxta formulam alterius breviarii. Sic reliqui doctores « in hoc puncto referendi, qui post dictam constitutionem « scripserunt. Et ratio est manifesta. Quia omnes conve- « niunt quemlibet obligatum esse singulis diebus illud offi-

« cium Pii V recitare, nisi ex consuetudine ducentorum « annorum excusetur; sed hæc materia gravis est; ergo gra- « viter obligat. Item omnes aliæ formulæ recitandi omnino « cassantur et abrogantur ad effectum satisfaciendi præ- « cepto : ergo recitare per ipsas, idem est ac si non reci- « tares. »

« Secundo dubitatur e contra : An potenti recitare alia « formula præter formulam brevarii Romani, possit, illa « omissa, per breviarium Romanum recitare? Reputat pro- « babile Suarez, Lessius, Bonacina... Cæterum, etsi supra- « dicta sententia probabilis sit, probabiliorem reputo con- « trariam. Scilicet hos exemptos in bulla Pii V, non posse « propria auctoritate formula breviarii Romani recitare, « omissa propria suæ ecclesiæ... »

« Et hæc sententia nullam habet dubitationem, cum Epi- « scopus seu Prælatus iis clericis sibi subditis præcipit ne « alio officio utantur : quod sine dubio facere potest; sicut « fecit S. Carolus, Archiepiscopus Mediolanensis, qui om- « nibus clericis suæ diœcesis præceptum imposuit ut officio « Ambrosiano uterentur. Hoc enim præceptum conforme « est bullæ Pii V, quæ consuetudines recitandi antiquiores « ducentis annis in suo robore et fortitudine reliquit. « Obligat ergo tale præceptum, utpote de re licita et ho- « nesta... Major autem difficultas est, an possit Episcopus « instituere ut totus clerus suæ diœcesis festivitatem alicu- « jus sancti celebret, cum juxta rubricas breviarii Romani « de alio sancto vel feria recitandum erat? Et quidem si « ille sanctus signatur in patronum totius diœcesis, vel il- « lius diœcesis est naturalis, vel ejus corpus seu notabiles « reliquiæ in diœcesi requiescunt, credo posse Episcopum « obligare clericos suæ diœcesis ut de illo officium persol- « vant; quia hæc constitutio adversa non est constitutio- « nibus pontificiis, sed potius illis conformis. Conformatur « enim constitutioni Gregorianæ concedenti ut de tali « sancto possint officium recitare. Quocirca quæstio solum

« procedit de sancto, qui neque est patronus diœcesis, ne-
« que illius naturalis, neque illius corpus aut notabiles re-
« liquiæ in tali diœcesi existunt. An, inquam, de hoc possit
« Episcopus statuere ut clerici suæ diœcesis officium reci-
« tent? Certum est constitutione perpetua id fieri non posse,
« quia esset adversa supradictæ Gregorianæ constitutioni.
« Inquit enim : *De aliis vero sanctis, etiamsi sint natura-*
« *les vel patroni alterius diœcesis, etiamsi illorum cor-*
« *pora vel notabiles reliquiæ in aliqua ecclesia alterius*
« *diœcesis requiescant, non celebretur officium proprium,*
« *sed servetur ordo breviarii Romani.* At Episcopus dero-
« gare non potest sua constitutione constitutionem pontifi-
« ciam; ergo. At dicendum existimo posse Episcopum una
« vel alia vice statuere, ut de aliquo sancto a sede Aposto-
« lica canonizato recitetur, si urgens aliqua causa occurrat
« quæ Pontificem consuli non permittat. » (Castropalao, tract. 7, disput. 2, § 3, punct. 2, tom. II, pag. 24, edit. Lugduni, 1635.)

V. *Doctrina Bonacinæ :*

« Omnes qui ad horas canonicas recitandas adstricti
« sunt, tenentur illas sub mortali recitare juxta breviarium
« Romanum. Ratio est quia lex et constitutio ecclesiastica
« obligat sub mortali in materia gravi. Ecclesia autem
« præcepit et constituit officium recitari juxta breviarium
« Romanum; immo irritat et cassat reliqua breviaria, ut
« patet ex constitutione Pii V edita anno 1568, et ex bulla
« Clementis VIII, quæ reperiuntur initio breviarii; et hæc
« est materia gravis.

« Ex quo fit ut alio ritu divinum officium recitari ne-
« queat, etiam in iis locis in quibus breviarium Romanum,
« negligentia vel resistentia Prælatorum, non est receptum.
« Summus enim Pontifex irritat omnia alia breviaria.

« Excipiuntur tamen in his constitutionibus ecclesiæ
« quarum officia approbata sunt a Summo Pontifice, aut
« quæ a ducentis et eo amplius annis ante editionem bre-

« viarii Pii V, consuetudinem habebant recitandi divinum « officium alia forma. Papa tamen concedit illis ecclesiis « facultatem recipiendi breviarium Romanum cum con- « sensu Episcopi et capituli. Et eo acceptato, non pote- « runt amplius ad prius breviarium sine licentia Papæ re- « dire; quia prius censebitur irritatum.

« Homines vero particulares non possunt breviarium « Romanum ante illius receptionem ordinarie adhibere, re- « licto proprio suæ religionis vel ecclesiæ approbato, ut « patebit ex solutione proxime sequentis quæsiti : et multo « minus possunt relicta consuetudine vel statuto suæ eccle- « siæ uti publice Romano breviario : tum quia magna « confusio sequeretur, tum quia hoc in capite *de His*, « distinctionis 22, et in canone *Convenit*, distinctionis 5, « prohibetur.

« Quæres primo, utrum habentibus privilegium utendi « breviario non Romano, licitum sit privatim uti Romano, « relicto proprio suæ religionis vel ecclesiæ, vel contra. — « Respondeo negative juxta probabiliorem sententiam.... Non « nego tamen, quin probabiliter etiam defendi queat, præciso « præcepto in contrarium, posse aliquem privatim, relicta « consuetudine propriæ ecclesiæ, recitare divinum officium « juxta breviarium Romanum. Nam recitans officium juxta « breviarium Romanum, conformat se ecclesiæ Romanæ « quæ est mater omnium ecclesiarum. Imo Navarrus (c. 19, « n. 217) et Reginaldus (l. XIX, n. 171) indistincte putant, « posse aliquando sine mortali peccato alienum breviarium « recitari... Hæc opinio non est improbabilis, modo alicubi « non adsit præceptum in contrarium, ut Mediolani, ubi « clerici ex decreto D. Caroli jubentur in virtute sanctæ « obedientiæ horas canonicas recitare juxta præscriptum « breviarii Ambrosiani. » *Hic refert Bonacina decretum S. Caroli; tum ita subjungit :* Ex quo licet obiter inferre « justa de causa, exempli gratia ad servandum propriæ ec- « clesiæ ritum, ferri posse constitutionem obligantem, ad

« recitandum officium juxta talem ritum; consequenter of-« ficium divinum recitari non posse juxta breviarium Ro-« manum ubi præceptum extat in contrarium, ut Mediolani « diximus reperiri, ubi decernitur in virtute sanctæ obe-« dientiæ ut omnes... qui Ambrosiano more divina obire de-« bent, divinum officium tam publice, quam privatim, juxta « Ambrosiani breviarii præscriptum persolvant. » (Bonacina de iis quæ ad divini officii recitationem pertinent, disput. 1, q. 3, punct. 1.)

VI. *Doctrina Garciæ :*

Postquam textum bullæ Pianæ citavit, sic ex eo infert : « Ex quibus verbis manifeste patet non recitantem per hoc « breviarium, nec secundum ipsius præscriptum, rationem « et formulam, atque secundum ipsius regulas et rubricas, « non satisfacere suæ obligationi, sed incurrere pœnas con-« stitutas in non recitantes, atque adeo obligationem resti-« tuendi fructus beneficiorum. Et sic cum in dicta bulla « expresse præcipiatur qualitas et modus horarum, cessat « hodie dicta ratio Cajetani et aliorum citatorum, quod de « qualitate horarum non sit aliud præceptum nisi consue-« tudo.... Facit etiam in simili de missali alia declaratio S. « Congregationis (super c. de indice librorum, breviario, « missali, sessionis 25), quæ sic ait : *Celebrantes alio mis-« sali, non hoc reformato, qui alias tenentur ex bulla « Pii V posita in missali Romano, incurrunt in peccatum « mortale, si scienter et absque justa causa id fecerint....* « Itaque si alio breviario usi fuerint, ac si non recitassent « censebuntur; unde qui diceret de sancto in die quo dicen-« dum esset de feria, vel contra, non satisfacit. » (Garcia, « de Benef., parte 3, cap. 1, n° 152 et seq.).

VII. *Doctrina Laymani :*

« Officium, cum publice in choro, tum privatim extra « chorum dicendum est secundum formam Romani breviarii « a Pio V editam et a Clemente VIII reformatam... Permit-« titur ecclesiis, monasteriis et conventibus quæ ducentis

« annis ante Pii V constitutionem proprium ritum orandi
« tenuerunt, ut etiam deinceps retinere eis liceat, nisi malint
« cum Episcopi sui et capituli consensu Romanum brevia-
« rium acceptare. Ita habetur in bulla Pii V breviariis præfixa.
« Addit Suarez, postquam dictæ ecclesiæ breviarium suum cum
« Romano semel commutarunt, non posse deinde hoc relicto
« suum antiquum reaccipere, eo quod pontificiæ concessioni
« antiquum ritum retinendi renuntiasse censeantur.... Offi-
« cium proprium de sancto ecclesiæ dici debet secundum
« ritum breviarii Romani : nisi quod lectiones accommodatæ
« deligi possunt quæ in communi breviario non continentur :
« sed utrum ejusmodi lectiones a sede Apostolica approbari
« debeant negat Rodriquus (t. I reg. q. q. — q. 42, a. 21)
« ubi ait : *posse recitari officia propria de sanctis, etiamsi*
« *a sede Apostolica approbata non sint, modo digna sint ut*
« *approbentur;* quia non videtur excedere potestatem Epi-
« scopi, quo minus sancto pro sua ecclesia colendo lectiones
« designare et approbare possit; cum talis approbatio non
« videatur ex causis gravioribus, quas sedes Apostolica sibi
« reservare solet. Et placet mihi hæc doctrina, si lectiones
« de sanctis propriis omni suspicione falsi carentes, antehac
« in ecclesia recitari consuetæ fuerant. Sin vero lectiones
« de sancto noviter introducantur, satis aperte significatur
« in citata rubrica I, opus esse approbatione sedis Aposto-
« licæ. » (Layman, lib. IV, tract. I de oratione et horis ca-
non., cap. 5.)

VIII. *Doctrina Dianæ :*

« Asserendum est non posse Episcopos et Prælatos religio-
« num dispensare cum suis subditis, ut non recitent officium
« juxta ritum breviarii Pii V ad quod tenerentur, sed juxta
« aliud breviarium approbatum. Ratio est, quia illa obligatio
« nascitur ex lege Summi Pontificis, in qua non potest inferior
« dispensare, saltem sine causa; unde si ita dispenset, non so-
« lum injusta, sed etiam invalida erit dispensatio... Concedo
« tamen posse Episcopos et Prælatos religionum dispensare

« cum suis subditis ex rationabili causa, ut aliquando, non ta-
« men in perpetuum, nec per modum constitutionis, recitent
« officium de sancto, die qua essent recitaturi de feria, si præ-
« sertim mutatio fiat secundum rubricas illius breviarii quo
« ipsis uti licet. » (Diana, tract. 2 de Dispensationibus, resol. 51, tom. III, pag. 206, edit. Lugduni 1680.)

IX. *Doctrina Vasquezii :*

« In hac re, si loquamur ante editionem breviarii Romani « novi, faterer ego veram esse opinionem Cajetani quoad hoc, « ut qui officium Romanum antiquum recitaret satisfaceret « præcepto, etiamsi suæ diœcesis omitteret officium : sed « alterius diœcesis quam suæ, nescio an liceret sine mortali « recitare. Romanum enim, cum esset fuissetque semper « generale, pro libito poterat quis illius officium dicere: « alia vero, meo judicio, extra diœceses vim non habent.

« Modo tamen res jam clara est, quoniam Pius V anno « 1569 edidit breviarium ex ordinatione Pii IV et concilii « Tridentini et motu proprio, jussitque sub peccato mortali « omnia alia breviaria abrogari, quæ antiquiora non essent « ducentis annis ; et admittendum esse Romanum breviarium « sub mortali, ubi prædicta breviaria antiqua non essent. « Unde fere jam in toto orbe illud fuit admissum, nisi in « religionibus quibusdam et aliquibus ecclesiis. In tota « tamen Hispania admissum est.

« Et concedit (*Pius V*) ut de consensu Episcopi et capi- « tuli admitti possit ubique terrarum, etiam ubi sunt anti- « quiora illa breviaria ducentis annis....

« Certissimum tamen est, ex motu proprio, breviaria non « antiquiora ducentis annis, ita esse abrogata, ut illorum « officiis satisfieri non possit præcepto. » (Vasquez, opuscula moralia, de Beneficiis, cap. 4, art. 2, n. 56 et 57.)

X. *Doctrina Ægidii Trullench :*

« Quodnam officii genus adhibendum sit in recitatione « horarum canonicarum ? — Dico primo : omnes qui « ad horas canonicas recitandas adscripti sunt, tenentur

« illas sub mortali recitare juxta formam breviarii Ro« mani. Patet ex constitutione Pii V... et ex bulla Cle« mentis VIII quæ reperiuntur initio breviarii; et cum « hæc materia sit gravis, hinc fit supradictas constitutio« nes obligare sub mortali : — Dico secundo : excipiun« tur ab iis constitutionibus et regulis, ecclesiæ quarum « officia approbata sunt a Summo Pontifice, aut quæ 200 « et eo amplius annis, ante constitutionem Pii V consuetu« dinem habent recitandi divinum officium alia forma. « Papa tamen concedit illis ecclesiis facultatem recipiendi « breviarium Romanum cum consensu Episcopi et capituli; « et eo acceptato, non possunt amplius ad prius breviarium « sine licentia Papæ redire. » (Expositio Decalogi, lib. 1, cap. 7, dub. 14 — Tom. I, pag. 221, edit. Venet. 1643.)

XI. *Doctrina Leandri :*

« An omnes teneantur recitare officium divinum juxta « formulam breviarii Romani ? — Respondeo tanquam « certum, omnes teneri; exceptis his in quorum eccle« siis vel conventibus 200 annis ante Pium V aliud bre« viarium fuerit institutum vel consuetudine approba« tum : quales sunt monachi Sancti Benedicti, dominicani, « commorantes in ecclesiis Mediolanensi, Samburgensi, « Leodiensi, et aliis hujusmodi si quæ sunt. Quia sic habe« tur in bulla Pii V : in qua bulla omnes aliæ formulæ « recitandi abrogantur, cassantur et irritantur. — An licite « possit quis uti novis breviariis (1) impressis v. g. Pari« siis, cum sola approbatione supremi consilii regii, non « vero inquisitoris, vel ordinarii? — Respondeo posse. « Quia publice Romæ venduntur dicta breviaria, illisque « utuntur passim. Sic Tamburinus (l. 2 in Decal. c. 5. n° 4) : « Quia jam (inquit) usu receptum est alicubi, facultatem « imprimendi haberi a dicto supremo consilio, quod ido-

(1) Dum auctor dicit *novis*, intelligit novas hujus temporis editiones breviarii S. Pii V, quibus non præfixa fuerat ordinarii vel inquisitoris attestatio de perfecta conformitate cum editione Romana.

« neum solet virum deputare ad libros approbandos. Quare « tunc, vel non sunt receptæ leges quibus jubetur esse libros « approbandos a persona ecclesiastica; vel non deest ejus« modi approbatio; quia ex ipsa introducta consuetudine « censetur ordinarius deputare eos ipsos quos regium con« silium deputat : quam praxim Roma ipsa comprobat, cum « passim ejusmodi libri Romæ palam vendantur. » (Tract. 8, de horis canonicis, disput. 3, quæstio 1 et 24.)

XII. *Doctrina Gobati :*

« Quæritur qua forma recitandum sit officium divinum ? « — Respondeo ob bullam Pii V præfixam breviario Ro« mano, confirmatamque a Clemente et Urbano octavis, « omnes astricti breviario debent ipsum pensum exequi « juxta formulam breviarii Romani, *exceptis capitulis et « monasteriis, quæ a ducentis* (ante illam bullam) *annis « fuerant usa alio.* Sic enim statuit illa bulla. » (Theologia experimentalis, tract. 5, casus 23, sect. 2, n. 597.)

XIII. *Doctrina Augustini Michel* (ecclesiæ Understorfensis in Bavaria canonici regularis) :

« De qualitate seu forma breviarii recitandi. — Pius V, « in bulla breviario præfixa, omnibus ad horas canonicas « obligatis, sub peccato mortali præcipit recitare breviarium « Romanum, ut aliter recitando suæ obligationi non satis« faciant. Tamen excipit ea loca quæ ultra ducentos annos « aliud breviarium usurparunt; quibus dedit optionem vel « antiquum recitandi, vel ex consensu Episcopi ac capituli « (si monasterium exemptum est, ex consensu Prælati et « capituli), Romanum acceptandi : ita tamen, ut Romano « semel acceptato, non liceat ad antiquum regredi; quia « tunc jam cessavit antiquum breviarium, consequenter « urget præceptum Pii V et Clementis VIII....

« Quemadmodum vero in sæpe allegata bulla Pontifex « adeo severe adstringit quemlibet ad servandum ritum « breviarii Romani, ut eidem non liceat detrahere aut ad« dere aliquid tanquam partem officii, ita peccant qui de-

« trahunt vel addunt, graviter vel leviter, pro quantitate « materiæ additæ vel detractæ; ita doctores omnes... Imo « citati Castropalao, Fillucius et alii, credunt esse peccatum « mortale, si vel minima pars additur vel detrahitur ani-« mo, ut in perpetuum duret; quia licet respectu divini offi-« cii illa pars censeri possit modica, non est tamen leve « sed grave, illam minimam partem ritui Ecclesiæ quasi « perpetuo addere; tum ob usurpatam jurisdictionem in re « gravis momenti, tum ob introductionem novi ritus et « cultus. Quod notent sibi illi, sive sæcularium ecclesiarum, « sive regularium superiores, qui præcise pro impertinen-« tibus et indiscretis devotiunculis suis, audent constituere, « ut certæ commemorationes sanctorum consuetis Ecclesiæ « Romanæ aut diœceseos suffragiis in choro inserantur, « certæ antiphonæ ante horas canantur, aut ut ab anteces-« soribus pari, consequenter nulla, auctoritate introductæ, « continuentur. » (Theol. canonico-moralis, pars 2, punct. 2, n. 1 et 4, tom. I, pag. 443, edit. Augustæ Vindel. 1707.)

XIV. *Doctrina Bordenave :*

« Le breviaire etant parachevé et accompli suivant leurs « sainctes institutions, ils l'ont approuvé (nempe Romani « Pontifices)... Et à ce que l'exécution de cette belle et « saincte entreprise réussisse, et que ce divin œuvre vienne « à son effet, ils ont de leur autorité apostolique osté et « aboly tous et chacuns les bréviaires faits par les évêques « en leurs diocèses, avec l'usage de ceux qui se pourraient « trouver en toutes les églises de l'univers : sans en excepter « que ceux-là qui auraient accoutumé d'user de certains « bréviaires approuvés depuis leur première institution du « saint Siége, ayant deux cents ans : auxquels néanmoins « ils conseillent de prendre et réciter l'office romain par « le consentement de l'évesque et chapitre. » (*L'estat des cathédrales ;* par Bordenave, chanoine de Lescar, grand vicaire et official métropolitain d'Auch; page 166, édit. de Paris 1643.)

« Pie cinquiesme d'heureuse mémoire estima être néces-
« saire de le faire pour la même raison : et Clément huic-
« tième y ajouta naguières la dernière main par la spéciale
« entremise du très-illustre Bellarmin. Ce qui est ordonné
« en telle sorte, qu'il n'est plus permis en l'Église catholi-
« que répandue par tout l'univers, d'avoir autre bréviaire
« que le romain : et ceux qui les ont divers, tombant aux
« termes de nos canonistes, lorsqu'ils disent à leur propos,
« *quod diversa scriptura vitiat bullam.* Mesme ils sont
« proches voisins de certains errans, qui sont appelés οἱ
« ἄνομοι, id est *dissimiles*, par Théodore Balsamon pa-
« triarche d'Antioche » (Bordenave, loco citato, pag. 174).

Idem auctor adducens rationes quibus confutantur ii qui contra bullam Pianam volebant retineri breviaria particularia, sic habet : « De même trempe et vertu est cette grande
« et ample production des canons, saints décrets et conciles
« généraux, allégués avec telle emphase, pour montrer que
« l'on doit retenir les anciens livres et bréviaires, qu'il
« semble n'y avoir que redire : Mais..., Suarez et Azor
« (Instit. mor., part. I, lib. x, c. II, q. I et 2) y respondent
« briefvement, disans : *Illud de jure communi antiquo*
« *verum esse ; hoc autem vim obtinere de jure speciali*
« *novo, Pii V auctoritate constituto.* Que les ecclesiasti-
« ques et diocèses particuliers ne sont point tenus par la
« disposition du droict commun à réciter l'office divin sui-
« vant le bréviaire romain : et que ce qui les oblige à
« quitter leur usage et suivre l'union de l'Église et Siége
« apostolique, provient de la décision contenue en la bulle
« du souverain pontife Pie V, à laquelle il se faut confor-
« mer incontinent, *quidquid dixerint Nicolaus de Ploue,*
« *Directorium, et alii, absque textu et ratione,* selon Beia
« (in Responsionibus casuum conscientiæ, casu 54) ; sans
« que l'exemple ni l'usage commun et journalier des bré-
« viaires et livres qui se trouvent propres et particuliers en
« plusieurs églises, monastères et autres lieux d'hommes et

« de femmes, esquels l'office divin se fait si saintement « quoiqu'il soit dissemblable et différent du romain, nous « doive émouvoir, ni mettre en scrupule et crainte de con- « science : d'autant que le sainct Père excepte ceux-là ex- « pressément par sa bulle, qui auraient auccoustumé d'user « de certains autres bréviaires approuvez depuis leur pre- « mière institution du Siége apostolique, ayans deux cens « ans révolus : auxquels il permet de les retenir et dire leur « ancien office : en les invitant neanmoins et induisant de « prendre celui du concile de Trente, pour le chanter au « chœur, avec le consentement de l'evesque et de tout le « chapitre » (Loco citato, p. 177).

XV. *Doctrina Sporeri :*

« Quali utendum breviario : an adhuc antiquo uti liceat? « — Servanda est forma generalis breviarii editi a S. Pio V, « et confirmati a Clemente VIII (et ab Urbano VIII novis « hymnis adornati) ab omnibus in Ecclesia latina breviario « adstrictis; exceptis ecclesiis, seu capitulis, et monasteriis, « quæ a ducentis annis fuerunt usa alio. Sic enim expresse « statuit illa Bulla S. Pii V, confirmata a Clemente et Ur- « bano octavis, breviario præfixa.

« Atvero necessario de præcepto servanda non est forma « breviarii Urbani VIII quoad novos hymnos : nam, ut ex « ipsius bulla patet, breviaria antiqua S. Pii V et Clemen- « tis VIII permittuntur quamdiu extant; et solum licet ac « decet uti breviario correcto ab Urbano, et antiqua de « novo imprimi gravissime sub excommunicatione prohi- « bentur. » (Sporer in appendice de horis canonicis, t. III, p. 76, edit. Venet. 1726.)

XVI. *Doctrina Petri Ballerini :*

« Ex bulla Pii V *Quod a nobis*, omnes tenentur recitare « officium secundum formam breviarii Romani, iis exceptis « qui ducentis ante eamdem bullam annis peculiari brevia- « rio utebantur : quibus tamen permittitur ex Episcopi vel « prælati, universique capituli consensu, Romanum brevia-

« rium adsumere... Hinc, ut propria vel peculiaria quo-
« rumdam sanctorum officia alicubi recitari possint, speciali « Romanæ sedis, seu Congregationis Rituum ad id delegatæ « dispensatione opus est » (Petrus Ballerinius in sua editione S. Antonini, in nota ad paginam 1014, tomi II).

XVII. *Doctrina Bissi, Cassinensis monachi* :

« Breviarium Romanum in recitatione divini officii esse « adhibendum ab obligatis ad horas canonicas, patet ex « tribus bullis initio breviarii præfixis, B. scilicet Pii V, « Clementis VIII et Urbani VIII; et ita notant communi- « ter doctores... Excipiuntur ab hac regula, illi tam clerici « sæculares quam regulares, qui diverso breviario a Ro- « mano fuere soliti uti ducentis annis ante Pium V... No- « tandum quod supradicti exempti possunt, si eis placet, « proprio breviario relicto, Romanum amplecti, ut colligi- « tur ex eadem bulla... Quare habes quod ex consensu « Episcopi et capituli, quisque ex privilegiatis potest juxta « Romanum breviarium recitare... Ex suppositione autem « quod jam approbatum fuerit Romanum, non amplius li- « cet mutare Romanum in suum peculiare antiquum; et « talem esse sensum bullæ ostendunt Suarez, Bonacina... « Ad intelligentiam notandum, verba bullæ quoad eos qui « per ducentos annos ante Pium V habuere peculiare bre- « viarium duo exprimere : primum, quod non teneantur « proprio antiquo relicto Romanum assumere : secundum, « quod si eis magis placeat, possint proprio relicto Romanum « accipere, cum consensu tamen Episcopi et capituli. His « positis, pono hanc conclusionem : *Exempti, qui suum « breviarium non mutant in Romanum cum debito con- « sensu, non possunt uti nisi proprio, relicto romano.* « Quod sic probo : non possunt uti Romano nisi virtute « bullæ Pii V; sed hic Pontifex in sua bulla vult quod ap- « probent Romanum cum debitis consensibus ut eo uti « possint; ergo nisi cum requisitis consensibus Romanum « recipiant, tenentur recitare juxta suum peculiare anti-

« quum. » (Bissus, Hierurgia, ad litteram B, n. 130.)

XVIII. *Doctrina Molfesii* :

« Ecclesiastici obligati recitare officium divinum, tenen-« tur illud recitare juxta formam præscriptam in breviario « Romano a Summis Pontificibus Pio V, Clemente VIII ac « Paulo V : aliter non satisfacerent præcepto. Conclusio « probatur manifeste ex bulla quæ initio dicti breviarii ha-« betur, qua præcipitur ut in omnibus ecclesiis, monaste-« riis, ordinibus et locis, etiam exemptis, universi orbis, « in quibus officium divinum ex more et ritu sanctæ Ro-« manæ Ecclesiæ dici solet, debet, aut consuevit, servetur « forma precandi et psallendi quæ in dicto breviario Ro-« mano continetur, non obstante quavis consuetudine « contraria quæ non excedit ducentos annos. Igitur omnis « alius modus recitandi, et omnis alia consuetudo abrogata « est, ut optime prosequuntur auctores citati; qui rationem « aliam subdunt, ex quo nullum aliud dicitur officium ca-« nonicum, dum non est approbatum per Ecclesiam catho-« licam, immo reprobatum; et sic non satisfacit præcepto « illud recitans. » (Promptuarium triplicis juris, tract. 5, cap. 1, n. 43.)

XIX. *Doctrina Billuart* :

« De forma recitandi officium — Dico 1° omnes officio « divino adstricti tenentur illud recitare juxta formam et « ritum generalem breviarii Romani, jussu S. Pii V editi « 1568; ita ut nemo nisi hac sola formula satisfacere pos-« sit, exceptis iis ecclesiis vel religionibus quæ ante 200 « annos alio ab Ecclesia approbato utebantur : quibus ta-« men conceditur ut de consensu Episcopi et universi ca-« pituli, sive prælati et communitatis Romano uti possint « in choro. » (Tractatus de Religione, dissert. 1, art. 8, de horis canonicis, § 5.)

XX. *Doctrina Gavanti et Merati* :

« Data fuit bulla Pii V 7 idus julii 1568, in qua Ponti-« fex multa facit. 1° Significat causam edendi hujus bre-

« viarii, nempe ad tollendam orandi varietatem. 2° Enar-
« rat ea quæ in hac re præstitere Paulus et Pius nomine
« Quarti, et quam ipse adhiberi operam curavit ex decreto
« concilii Tridentini. 3° Tollit et abolet omnino breviarium
« a cardinale S. Crucis compositum, quod erat brevissi-
« mum. Item alia breviaria romana, et alia, quæ ex institu-
« tione vel consuetudine legitima non superant ducentos
« annos. 4° Permittit tamen ut antiquiora non-romana du-
« centis annis possint mutari in hoc breviarium, iis omis-
« sis, si Episcopus et universum capitulum consentiant...
« 6° Præcipit observari hoc breviarium in toto orbe, cum
« exceptione 200 annorum de qua supra. 7° Statuit nihil
« in eo mutandum, addendum, detrahendum. 8° Obligat
« quosque qui tenentur horas canonicas recitare, ut hoc
« utantur breviario, alias non satisfaciant muneri suo...
« 13° Ex quibus collige, ubi aliquando, omisso proprio et
« licito breviario, receptum est illud Pii V, non posse am-
« plius omissum repeti... 16° Qui alio concedit, animo con-
« stituendi sibi domicilium, vel ibi manendi majore anni
« parte, tenetur uti breviario loci ubi moratur; secus mi-
« nime... 19° Non potest Episcopus cum aliquo dispensare
« ut relicto proprio breviario, recitet officium juxta formam
« alterius breviarii. 22° Edita vero bulla Pii V, cessavit
« omnis antiqua facultas Episcoporum circa festorum offi-
« cia, quam habebant ex sacris canonibus Archiepiscopi et
« Episcopi... 23° Unde non potuerunt retineri officia reci-
« tata ante Pium V sine licentia sedis Apostolicæ, quia re-
« tinere officia abrogata est idem ac addere breviario
« Pii V, seu mutare officium in breviario quotidie præscri-
« ptum. 24° Et hic est sensus eorum verborum decreti
« 8 aprilis 1628, nunc impressi in breviario, nimirum: *non*
« *potuisse neque posse...* 25° Neque potuerunt iidem ordi-
« narii, neque possunt eadem de causa mutare ritum in
« altiorem... propria auctoritate; sed est necessaria quoque
« sedis Apostolicæ auctoritas, vel sacræ Congregationis ri-

« tuum licentia. » (Gavantus, Commentaria in rubricas breviarii, sect. 2, cap. 2.)

XXI. *Concilium Aquileiense I, anni* 1596 :

« Multo quidem justius in sacris et divinis debet esse « certa quædam agendorum norma; illaque non arbitrio « subjecta, sed lege constanti comprehensa, ut sit certa « unitate potius similitudine conformata, quam sequantur « omnes. Quamvis autem Pii V constitutione de Romano « breviario edita cautum sit, ut qui supra ducentos annos « proprium habent officium, uti eo possint, nec debeant « compelli ut horas canonicas de breviario Romano reci- « tent, tamen ratio peragendæ sacræ rei, et illa quæ tanto- « pere Deo placet consensio uniformi ritu recepta, maxime « suadet ut in hac provincia statuatur unica laudes Deo « canendi et sacra officia obeundi forma. In nostra ecclesia « de proprio breviario canebantur superioribus annis ca- « nonicæ horæ, et erat proprium etiam missale, atque alibi « proprii adhibebantur in diœcesi nostra quidam ritus anti- « quissimo usu recepti : at vetera, quæ non omnino sincera « comperta sunt, et pene desuetudine collapsa recesserunt, « et jam nova sunt omnia. Sanctam Romanam Ecclesiam « magistram et matrem cognoscimus : hanc ut reliquis, « etiam ritu et ministeriis ecclesiasticis modo sequimur. Vix « enim fit in hujusmodi particularibus ecclesiarum aut lo- « corum officiis, quin aut apocryphum aliquid, aut erro- « neum deprehendatur. Decernimus igitur ut in tota Aqui- « leiensi provincia, in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, « parochialibus et aliis quibuscumque, tam publice quam « privatim, in posterum horæ canonicæ ex breviario Ro- « mano sub Pio V edito recitentur : ac declaramus reci- « tantes obligationi recitandi horas minime satisfacere, nisi « de breviario Romano illas recitarint : quod idem decer- « nimus in missali, rituali sacramentorum et aliis obser- « vandum. » (Ita apud Bordenave, l'Estat des cathedrales, pag. 175.—Vide idem apud Labbe, t. XV, pag. 1481.)

XXII. *Concilium Mediolanense 2, sub S. Carolo Borromæo anno* 1569 :

« Episcopi curent, in sua quisque diœcesi, ut officia divina, quæ singulis canonicis horis præstari debent, et publice in ecclesia, et privatim..., celebrentur et peragantur ad præscriptam breviarii Romani nuper editi rationem : nisi tamen ecclesiæ ejusmodi sint in quibus ex veteri consuetudine (ut Summi Pontificis Pii V litteris eo nomine confectis cautum est), alius ritus, aliaque ratio adhibeatur. Si vero secus a quibusdam factum erit, cum isti (ut eisdem Summi Pontificis litteris nominatim sancitum est) horarum canonicarum officio... non satisfaciant, eos ipsos Episcopi pœnis iis mulctent, quæ Lateranensi concilio a Leone X et provinciali synodo superiori contra clericos constitutæ sunt, qui canonicarum horarum officium intermittunt. » (Apud Labbe, t. XV, p. 351.)

XXIII. *Concilium Aquense, anni* 1585 :

« Hæc sancta synodus... attendens quod ex constitutione felicis recordationis Pii Papæ V prohibitum est, proprio officio relicto, aliud quam Romanum assumere... Statuit, etc. » (Titulo de *Missali et breviario*, apud Labbe, tom. XV, pag. 1134.)

XXIV. *Concilium Turonense, anni* 1583 :

« Hos autem rectores aliosque omnes presbyteros... ad horas canoniales singulis diebus recitandas, ad usum breviarii decreto concilii Tridentini editi, vel suarum diœcesum quorum usus ante ducentos annos probatus sit, se obligari, sub pœna privationis omnium fructuum beneficiorum per eos possessorum, quos etiam suos juxta sacrorum canonum, præsertim concilii Lateranensis, decreta, et Pii V constitutionem facere non posse, imo ad eorum restitutionem teneri declaramus. » (Apud Odespun, novissima concilia Galliæ, pag. 355.)

XXV. *Synodus montis Regalis :*

« Quicumque sunt necessarii libri ad sacram psalmo-

« diam, et quidem cum hymnis juxta reformationem Ur-« bani VIII, provideantur. Et quia sanctissimus Pontifex « Innocentius divina providentia Papa decimus, Clemen-« tis VIII cæremoniale accurate renovatum omnibus ecclesiis « observandum proposuit; Nos tanti Pontificis sanctioni-« bus justissimis inhærentes, omnibus et singulis cujus-« cumque ecclesiæ præfectis..... præcipimus, ut in di-« vinorum officiorum et missarum celebratione, omnia juxta « ipsius cæremonialis renovati præscripta serventur. » (Synodus diœces. Montis Regalis, anni 1652, pag. 97, edit. Monte Regali 1653.)

XXVI. *Synodus Assisiensis :*

« Cum profecto sancta Romana Ecclesia, tum dignitate « cum sanctitate, cæteris ecclesiis longe antecellat; quod « una hæc nullam habeat maculam neque rugam, atque « adeo solis instar Domini luce perfusa per totum orbem « nitentes suæ puritatis radios effundat; consentaneum est « ut reliquæ omnes, tanquam filiæ tantæ matris, vel saltem « tanti corporis membra, ejusdem capitis mores sequantur, « ritus quoscumque inviolate observent, ac tandem se ad « ejus voluntatem, etiam in recitandis horis canonicis con-« forment : statuimus igitur et mandamus ut in ecclesia « nostra cathedrali a priore et omnibus canonicis et clericis « qui chori officiis sunt adstricti... ex ritu et consuetudine « ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ divinæ laudes persol-« vantur. » (Synodus diœces. Assisiensis, anni 1656, tit. 29 *de Horis canonicis.*)

XXVII. *Diœcesana synodus Amerina, anno* 1595 *celebrata :*

« Cum divina officia omnia, tum canonicas horas, ex « ratione ac disciplina Romani breviarii, jussu Pii quinti « Pontificis maximi, ex auctoritate concilii Tridentini, editi, « recitari, administrari ac peragi jubemus ab omnibus, tam « qui in ecclesiis, quam qui privatim domi suæ id officii « persolvunt. Nec quenquam ignorare volumus nulli licere

« addere aut detrahere quidquam. Quod si quis rationem « ipsam immutare, aut aliter quam Romana disciplina præ« scribit recitare audeat, hunc monemus, primo quidem « muneri suo eum satis non facere; deinde mortiferi delicti « crimine teneri; postremo fructus beneficiorum ab eo « perceptos reddendos esse; siquidem officii rationem ne« gligere ac pervertere, perinde est ac officium ipsum præ« termittere. » (Cap. 486, folio 102 verso, ed. Venet. 1597.)

XXVIII. *Synodus Brundusina* :

« Regulas Breviarii et Missalis oportet perlegere fre« quenter, ut in modo recitandi non fiat error : nam post « breviarium Romanum Pii V, adest præceptum etiam de « modo, et hoc valde notandum est » (Synodus diœces. Brundusina, anni 1617, cap. 7, *de officio divino*, pag. 91, edit. Romæ 1623).

XXIX. *Synodus Placentina* :

« Qui ad divini recitationem officii astringuntur, illud « omnino dicant juxta formam et regulas breviarii Romani « ex concilio Tridentino editi; nihil penitus addant immi« nuantve. Si quis autem alia ratione quam ibi præscribitur « horas canonicas recitaverit, primo sciat se præcepto di« cendi officium non satisfecisse; exinde ultra reatum pec« cati mortalis teneri ad restitutionem etiam fructuum « cujuscumque beneficii, pro rata temporis quo preces hora« rias non rite recitaverit » (Synodus Placentina anni 1589, pag. 97, edit. Placentiæ 1589).

XXX. *Doctrina Benedicti XIV* :

« Negotium tandem fuit sub hoc Pontifice (nempe Pio V) « feliciter absolutum, quemadmodum desumitur ex ejus « constitutione (64, Bullarii tom. II); in qua abolevit quæ« cumque alia breviaria, quovis etiam privilegio munita, « exceptis illis, quæ in ipsa prima institutione fuissent a « sede Apostolica approbata, vel quæ usu ducentorum anno« rum in aliquibus ecclesiis recepta fuissent... Memoratus « sanctus Pius V in citata constitutione præscripsit, ne

« quid breviario a se edito adderetur aut de eo minueretur...
« Post hæc, quomodo factum sit ut in aliquibus ultra « montes diœcesibus nova quotidie breviaria edantur, ignoratur. Non multis abhinc annis in Galliis editus est ab « Episcopo liber, cujus nomini parco, *de jure et potestate « Episcoporum ordinandi Officia divina intra fines suæ « diœcesis, juxta omnium sæculorum traditionem a Christo « Jesu ad nos transmissam*. Audacter Grancolas (in comment. histor. in Romanum breviarium, cap. 6), adversus « claram litteram constitutionis sancti Pii V asserit, prædicti Pontificis mentem nullatenus fuisse, ut breviarium « Romanum a se correctum ubique susciperetur, abjectis « omnibus diœcesanis breviariis : quod tantum admitti potest, juxta dicta a nobis superius, quoad breviaria usu « ducentorum annorum ante bullam recepta, aut quoad « breviaria quæ in sua institutione fuissent a sede Apostolica « approbata, cujusmodi sunt pleraque breviaria monachorum. Si Grancolas audaciæ titulo notandus est ob ea « quæ modo scripsisse diximus, severiori nota plerisque « afficienda videri poterit assertio Joannis Pontas (in Dict. « cas. consc. tom. II, in verb. *Festum*, cas. 5), ubi novorum « breviariorum editionem et reformationem ab Episcopis « faciendam refert. Van Espen (Jus eccles. part. 1, tit. 16, « c. 9, n° 22 et 23) docet breviariorum aliorumque librorum ad divinum officium spectantium examen et correctionem ad Episcopos pertinere; sed cum in Belgicis ecclesiis receptum fuerit breviarium Romanum, subjicit (n. 24) « bullam S. Pii V esse attendendam. Et (eadem parte 1, « tit. 22, c. 7, n. 19 et seq.) postquam animadvertit, ex « constitutione Pii V breviarium nullo unquam tempore « vel totum, vel ex parte mutandum esse, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum ; ait, si aliquid breviario Romano judicaretur addendum vel demendum aut « ex parte mutandum, id fore a sede Apostolica postulandum, loquendo semper de ecclesiis quæ breviarium Ro-

« manum receperunt. Nec alii desunt auctores qui usum « particularium breviariorum, et jus illum statuendi pro « suis ecclesiis adjudicant illis Episcopis, in quorum diœ« cesibus bullæ Romanorum Pontificum breviarium cor« rectum præfinientes, scientibus et tolerantibus ipsis Ro« manis Pontificibus, receptæ non sunt, suaque executione « caruerunt (Baldellus, *Theologiæ moralis* tom. II, lib. III, « disput. 29, n. 3). Porro, an hæc sufficiant, aliorum judi« cium sit. » (Benedictus XIV de servorum Dei beatific. et canonizatione, lib. IV, part. II, cap. 13.)

XXXI. *Doctrina sacræ Congregationis concilii :*

Refert Zamboni a dicta Congregatione fuisse declaratum hoc modo : « Eos qui ad officium divinum recitandum te« nentur, non aliter huic muneri satisfacere, quam si ex « breviarii Romani, juxta sacri concilii Tridentini decre« tum a Pontifice maximo S. Pio V restituti, formula illud « recitaverint ; ad idque posse compelli : nisi a prima insti« tutione per sedem Apostolicam approbata, vel consuetu« dine quæ, vel ipsa institutio, ducentos annos ante« cederet, aliis certis breviariis usos fuisse constiterit, quem« admodum ejusdem S. Pii constitutione cavetur : Sues« sionensis 16 septembris 1662, dub. 17. » (T. I, p. 349, edit. Viennæ 1812.)

Putamus ex illa citationum serie posse lectorem introspicere, quænam fuerit communis doctorum sententia circa jus liturgicum a S. Pio V constitutum. Cæterum hujusmodi auctoritatum seriem potuissemus in immensum protrahere, nec alia quam brevitatis causa, eam claudimus, paucis inter multos ex variis scholis et nationibus in medium adductis canonistis et theologis. Quod autem aliqui in Gallia auctores aliter jus liturgicum, ex Pianis bullis ortum, intellexerint (prout collationes Rupellenses, Collet, Grancolas, Pontas, et nonnulli alii), id nihil communis doctrinæ auctoritati detrahit. Prædicti enim auctores sat recenter scripserunt; eo scilicet tempore quo jam, ex gal-

licani systematis impulsu, multa in ea regione fuerant in transversum acta : neque possunt præterea plerique eorum inter bonæ notæ scriptores recenseri : et tandem eorum ratiunculas pervolventi, facile patebit omni eas soliditate carere. Sit in exemplum continuator Tournely, id est, Collet : « Si forte objeceris, inquit, Pium V in bulla citata « præcipere, ut ii omnes Romano breviario utantur, qui « proprium non habebant ducentis ante ejus constitutio- « nem annis, reponit auctor collationum diœcesis Rupellen- « sis, 1° hanc pontificiæ legis partem in eos tantum cadere, « qui *de jure vel consuetudine* ad officii Romani recitatio- « nem tenebantur, non in alios. 2° Constitutionem hanc « nunquam in Galliis receptam fuisse aut promulgatam « cum iis formalitatibus quæ necessariæ sunt ut pontificiæ « decisiones vim legis habeant. 3° Addi posset, privatorum « munus non esse ut discutiant an Episcopi nova potuerint « invehere breviaria » (tom. I, pag. 628, edit. Venet. 1746). Advertat lector quam nulla sit prima ratio : supponit enim tempore S. Pii V omnes latinas ecclesias (exceptis Mediolanensi et Mozarabici ritus capellis) non fuisse officio Romano (1) *de jure vel consuetudine* adstrictas. Porro contrarium verum est, ut infra ex professo probamus. Præterea si bulla Piana non attigisset Occidentis ecclesias quæ officium habebant aliquatenus diversum ab eo quo tunc utebatur Ecclesia Romana, inutilis et ridicula fuisset illa constitutio. Nullas enim obligasset ecclesias, cum nullæ tunc essent quæ non haberent liturgiam aliquatenus diversam ab ea quæ Romæ vigebat. Imo in ipsa Urbe Roma variæ in variis ecclesiis erant formulæ. Nec alia de causa quam ad tollendas hujusmodi varietates novum breviarium et missale edicebatur et præcipiebatur. Secunda ratio, bullam

(1) *Romanæ* tunc temporis vocabantur omnes generatim liturgiæ latinæ, licet multum inter se diversæ, quia Romanæ initio fuerant, et quoad præcipua remanserant; et sic vocabantur per oppositionem ad liturgias orientales, ad Mediolanensem et Mozarabicam.

nempe non fuisse in Galliis receptam, dupliciter erronea est; quoad jus nempe et quoad factum. Quoad jus, quia supponit sine ulla restrictione non obligare constitutiones pontificias nisi recipiantur; quod falsum est, si constet Summum Pontificem velle eas recipi et obligare. Quoad factum, quia certum est, ut supra (parte III, cap. 10) probatum est, Pianas bullas fuisse in Galliis receptas. Tertia ratio quam addit Collet, ad privatos non spectare quæstionem, *an Episcopi potuerint nova invehere breviaria*, doctrinam heterodoxam involvit. Quando enim sedes Apostolica expresse prohibuit lege universali, ne Episcopi nova invehant breviaria, et ista breviaria ita damnavit ut nullus privatus possit per ea debito horarum canonicarum satisfacere, non tantum possunt, sed debent privati, judicare nova hujusmodi breviaria contra legem pontificiam invecta, esse vere prohibita; et debent ea respuere, et sedi Apostolicæ et non Episcopo (si forte, quod Deus avertat, contra eam sedem rebellaret) obedire. Et certe ad privatum quemque clericum horis canonicis adstrictum spectat, ut curet obligationi divini officii satisfacere; ac proinde ut non utatur ea formula, per quam sedes Apostolica decernit non posse dictæ obligationi satisfieri. Nec catholicum est dicere, posse legem superioris ab inferiore abrogari, aut Papam non esse superiorem Episcopis. Unde recentes illi Galliæ auctores qui bullas Pianas aliter intellexere ac universus doctorum scholæ cœtus, omnino deserendi sunt, nec in ea re attendendi.

§ II.

Juris liturgici, a S. Pio V quoad breviarium et missale constituti, præcipuæ dispositiones.

Propositio 1ª. *Bullarum Pianarum dispositio restricta fuit ad ecclesias quæ, de consuetudine vel de jure, liturgiæ Ecclesiæ Romanæ adstringebantur.* — Hæc restrictio pluries atque expressis terminis in præfatis bullis reperitur. In bulla

Quod a nobis aboletur quidem aliorum breviariorum usus *de omnibus orbis ecclesiis*; sed additur : *in quibus alias officium divinum Romanæ Ecclesiæ ritu dici consuevit, aut debet.* Et eadem restrictio iteratur infra his verbis : *In quibus officium ex more et ritu dictæ Romanæ Ecclesiæ dici debet aut consuevit.* Unde expressius adhuc indicans quos suo decreto liget, sic addit præfatus Pontifex : *Quoscumque qui horas canonicas, ex more et ritu ipsius Romanæ Ecclesiæ jure, vel consuetudine, dicere vel psallere debent.* Item in bulla *Quo primum tempore*, dum missalis Piani formula obligatoria declaratur *in omnibus christiani orbis ecclesiis*, additur : *In quibus missa juxta Ecclesiæ Romanæ ritum celebrari consuevit vel debet.* Ergo de facto appositam fuisse restrictionem quam in præsenti propositione affirmamus, nulli dubium esse potest. Porro per prædictam restrictionem excludi a decreto S. Pii V ecclesias orientalibus ritibus addictas omnino concludi debet : illæ enim ecclesiæ nec *jure* nec *consuetudine* tenebantur, tempore S. Pii V, Ecclesiæ Romanæ liturgiam adhibere. Jus ergo liturgicum per Piana decreta quoad orientales ecclesias immutatum non est. An autem sub dicta restrictione debeant etiam comprehendi aliquæ Occidentis ecclesiæ, in sequenti propositione expenditur.

Propositio 2ª. *Exceptis ecclesia Mediolanensi, et capellis Toletanis quibus ritus Mozarabicus permissus fuerat, cæteræ totius Occidentis ecclesiæ, tempore S. Pii V, liturgiæ Romanæ censebantur et erant de jure vel consuetudine adstrictæ; ac proinde bullis Pianis pro earum tenore ligatæ sunt.*—Jam supra exposuimus quomodo in Galliis et Germaniæ regionibus octavo sæculo, aut anteriori etiam tempore, in locum veteris gallicani ritus liturgia Romana successerit; quod et in Hispaniis undecimo sæculo, sancti Gregorii VII zelo fuit obtentum. Item in Italia insulisque adjacentibus, atque in Britannia, liturgiam Romanam generaliter viguisse certum est. Dum ergo Occidentis

ecclesiæ suæ propriæ liturgiæ adstringebantur, Romanæ liturgiæ adstrictæ censebantur. Et merito quidem : licet enim multæ et notabiles varietates ortæ essent, tum quod particulares Ecclesiæ sensim sine sensu multa addidissent et retraxissent, tum quod mutationes in ipsam Romanæ ecclesiæ liturgiam inductæ, in cæteras ecclesias Occidentis non transissent, tamen quoad substantiam omnes generatim occidentales liturgiæ Romanæ remanserant. Excipiendus tantum ritus Ambrosianus Mediolanensis ecclesiæ, et Gothicus in capellis quibusdam Toletanis ex indulto pontificio conservatus. Nec objiciatur aliquos Episcopos jam tempore S. Pii V sibi breviaria a Romano substantialiter diversa conflasse : id enim non tanquam jus, sed tanquam abusus a dicto Pontifice memoratur. Dum ergo S. Pius V loquitur de ecclesiis quæ *de jure vel consuetudine* liturgiæ Romanæ adstringuntur, dubium non est ipsum de totius generaliter Occidentis ecclesiis esse locutum.

Quod insuper confirmatur ex scopo ab eodem Pontifice et a Tridentina synodo intento. Celebri enim, et tot concilii Tridentini ac Pontificum Romanorum curis elaborata reformatione, id præcipue intendebatur, ut tam multæ temporum tractu inductæ varietates atque exorti abusus de medio tollerentur, atque unitas reduceretur. Quæ mens in bullis Pianis et cæteris de hac re monumentis perpetuo expressa recurrit. Porro si Pius V, sub nomine *ecclesiarum de jure vel consuetudine ritui Ecclesiæ Romanæ addictarum*, non comprehendisset eas quæ varietatibus, licet non substantialibus, a liturgia Romæ tunc vigente discrepabant, frustra omnino suas bullas promulgasset. Omnes enim Occidentis ecclesiæ ab ejus decretis fuissent exceptæ, cum vix ulla tunc extiterit quæ a liturgia Romæ tunc temporis vigente non differret. Imo ad tollenda ejusmodi discrimina, decretum cum novo breviario et novo missali edicebatur. Cum ergo repugnet sedem Apostolicam inutile quid et stultum voluisse agere, dicendum est sub formula *ecclesia-*

rum liturgiæ Romanæ de jure aut consuetudine adstrictarum, non exclusas, sed inclusas a sancto Pio V fuisse ecclesias, quæ magnis licet varietatibus a ritu Romano discrepantes, suas tamen liturgias a Romana Ecclesia aliquando acceperant et quoad substantiam retinebant. Hujusmodi autem erant, ut diximus, omnes generatim Occidentis ecclesiæ, excepto Ambrosiano et Gothico ritu.

Præterea, Paulus Papa V in suo brevi *Apostolicæ sedi*, quo rituale Romanum publicavit, sic declarat quinam fuerit S. Pii V scopus in edendis et præscribendis breviario et missali Romanis : *Quamobrem felicis recordationis Pius Papa V prædecessor noster..., ut catholica Ecclesia in fidei unitate, ac sub uno visibili capite Beati Petri successore Romano Pontifice congregata, unum psallendi et orandi ordinem, quantum cum Domino poterat, teneret, breviarium primum et deinde missale Romanum, multo studio et diligentia elaborata, pastorali providentia edenda censuit.* Quantum ergo abest ut S. Pius V intenderit tantum suo missali et breviario subjicere ecclesias urbis Romæ aut status pontificii!

Idem sequitur ex ipso Piani decreti tenore : ista enim verba, *de omnibus orbis ecclesiis*, *in omnibus christiani orbis ecclesiis*, *in quibus officium ex more et ritu Romanæ Ecclesiæ dici debet,* absona prorsus essent, si Pius V intellexisset tantum ecclesias quæ ad sequendam adamussim liturgiam prout tunc temporis Romæ vigebat adstringerentur. Nedum enim multæ extarent *per totum orbem*, ut supponunt prædicta verba, hujusmodi ecclesiæ quæ tenerentur aut solerent Romæ tunc vigenti ritui sese omnino conformare, generaliter e contra in varietates abiisse in toto orbe ecclesias ipsemet testatur Pius V ; nec nisi ad tollendas ejusmodi difformitates reformationem et certam formulam edicit. Immo in ipsa Romana urbe variæ in variis ecclesiis vigebant liturgicæ formæ. Unde omnino somniaret qui sibi persuaderet, Ecclesias *Romanæ liturgiæ de jure vel con-*

suetudine adstrictas, de quibus agit Pianum decretum, fuisse tantum ecclesias Romanæ Urbis, aut status Pontificii. Si enim S. Pius V voluisset quoad ecclesias dumtaxat status Pontificii decernere, non locutus fuisset *de omnibus Christiani orbis ecclesiis*, nec dixisset se exequi votum et mandatum Tridentinorum Patrum; qui profecto non de particulari in statu Pontificio, sed de generali liturgiæ reformatione egerunt.

Idem constat denique ex communi doctorum consensu, quem exhibent in superiori paragrapho collecta testimonia. Huic vero communi interpretationi insulse opponerentur, ut supra adnotavimus, quidam sat recentes, sat malæ notæ, et nullius soliditatis Galliæ auctores. Bene notum est in omnibus quæstionibus semper reperiri aliqua heteroclita capita, quibus communis doctorum sententia non arrideat. Singularem interpretationem quam supra ex Collet retulimus, si qua attentione dignam reputasset, non neglexisset urgere, pro suo in sedem Apostolicam infenso animo, Van Espenius; qui tamen in hoc a probatis auctoribus non recessit. En quomodo Bullam Pianam intellexit, atque quoad substantiam refert (de Horis canonicis, pars 1, cap. 4, § 2) :

« Deplorat Pius V summam fuisse, non tantum *omnium* « *pæne ecclesiarum* in recitandis Dei laudibus et decan- « tando divino officio varietatem ante concilium Tridenti- « num, sed etiam summam divini cultus perturbationem ex « eo quod Episcopi in ecclesiis, quæ ab initio communiter « cum cæteris veteri Romano more horas canonicas dicere « et psallere consuevissent, privatum sibi quilibet brevia- « rium confecissent. *Huic vero* divini officii *perturbationi* « *et nimiæ varietati remedium adhibere* voluerat Pau- « lus IV; sed eo (nondum opere perfecto) e vivis sublato, « Patres concilii Tridentini... breviarium ex ipsius Pauli IV « Papæ ratione restituere cogitarunt. » Relatis ipsismet Bullæ verbis, subjungit Van Espenius : « Hoc breviarium ita « approbatum et evulgatum ab *omnibus quibuscumque*, tam

« regularibus quam sæcularibus utriusque sexus, ad horarum « canonicarum recitationem adstrictis, recipi mandavit, atque « secundum illius præscriptum horas canonicas recitari vo- « luit. » Profert deinde textum, quo eximuntur a Piano breviario ecclesiæ quæ proprio breviario ducentis annis antiquiore utuntur. Ex quo patet ipsummet Van Espenium bene intellexisse hunc fuisse Piani decreti scopum, *ut remedium* afferret *nimiæ varietati et perturbationi*, quo malo *omnes pæne Ecclesiæ* laborabant; et eodem decreto ligatos fuisse *omnes quoscumque* qui sub memorata exceptione non comprehendebantur. Quod autem Pianum decretum status Pontificii tantum ecclesias obligaverit, ne verbo quidem innuit.

Propositio 3ª. *Stricte et sub peccato mortali obligatoria fuere breviarium et missale S. Pii V quoad omnes mundi ecclesias, præter eas quas ipsummet excipit decretum Pianum.* — 1° Probatur ex ipso legis Pianæ tenore. Certo enim et sub gravi obligatorium fuit breviarium atque missale Pianum, quoad omnes ecclesias a bullis ipsis non exceptas, si bullæ Pianæ contineant præceptum proprie dictum, si præceptum illud sit generale salvis dictis exceptionibus, et si præcepti materia sit gravis : atqui hæc tria certa sunt : *Primo,* bullæ Pianæ præcepto proprie dicto, et non tantum cohortatione, prædictum breviarium et missale in usum deduci, revocatis et suppressis cæteris formulis, decernunt : *Jubemus igitur omnes et singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, abbates et cæteros ecclesiarum prælatos, ut, omissis quæ sic suppressimus et abolevimus... breviarium hoc in suis quisque ecclesiis... introducant.* Nec minus expresse idem circa missale decernitur : *Mandantes ac districte omnibus et singulis... Patriarchis, administratoribus, aliisque personis, quacumque ecclesiastica dignitate fulgentibus, in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes ut, cæteris... omissis ac plane rejectis, missam juxta ritum, modum ac normam, quæ per missale hoc

a nobis traditur, decantent ac legant. Quoad breviarium insuper decernitur non posse alia formula satisfieri. Ergo in dictis bullis exprimi præceptum proprie dictum luce meridiana clarius est. *Secundo*, præceptum illud est generale, salvis exceptionibus in ipso decreto expressis. Id probant modo citata verba, quibus attinguntur *omnes et singul* Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique prælati. Quod iterum S. Pius V exprimit hoc modo : *In omnibus Christiani orbis provinciarum patriarchalibus, cathedralibus et parochialibus, sæcularibus et... regularibus, ecclesiis vel capellis.* Ergo lex Piana universalis fuit, et per modum exceptionis tantum ab ea quasdam ecclesias exemptas voluit S. Pius V. Sub exceptione autem comprehensas duntaxat fuisse liturgias orientales cum Ambrosiana et Mozarabica, et insuper eas quæ a ducentis annis vigebant, supra probavimus. Omnes ergo aliæ ecclesiæ præcepto ligatæ sunt. *Tertio*, materia hujusce præcepti certissime gravis est, ut per se patet et fatentur omnes. Ergo sub peccato mortali obligatoria fuere breviarium et missale S. Pii V, quoad omnes ecclesias et personas sub dictis exceptionibus non comprehensas. Atque eodem modo et ex iisdem rationibus obligatoria postea fuerunt breviarium et missale a Clemente VIII ac dein ab Urbano VIII recognita.

2° Idem constat ex communi doctorum consensu. — Ex testimoniis enim in superiori paragrapho collectis patet, doctores communiter hoc modo intellexisse jus liturgicum a S. Pio V constitutum.

3° Idem etiam constat ex declarationibus et praxi Congregationum Romanarum. In declaratione sacræ Congregationis Concilii, sub finem superioris paragraphi relata, de omnibus qui ad officium divinum tenentur dicitur, *eos non aliter huic muneri satisfacere*, quam si Piano breviario utantur; circa quam obligationem unica admittitur a dicta Congregatione exceptio, ecclesiarum nempe quæ formula ducentis annis bullam Pianam antecedente utuntur. Sacræ

autem Congregationis declarationes in hunc sensum, abundant; quas citandi in reliqua tractatione frequens occurret occasio.

Objicies — Licitum est Episcopis constitutiones apostolicas non acceptare et non publicare, et sic impedire ne in suis diœcesibus vim legis habeant; atqui contrarium supponit thesis; ergo rejicienda est. Dicendum scilicet non tantum ecclesias sub exceptione decreti Piani comprehensas a dicto decreto exemptas fuisse, sed ex aliis eas tantum ligatas fuisse, quarum Episcopi constitutionem Pianam acceptare et publicare opportunum judicarunt.

Respondeo ad majorem : *Licitum est Episcopis*, etc... distinguo : etiam quando sedes Apostolica vult constitutionem obligare independenter ab omni acceptatione et publicatione in diœcesibus, *nego;* certum est enim Christi in terris vicarium, cui in persona Petri data est plena potestas agnos et oves, id est, fideles atque Prælatos pascendi, regendi et gubernandi, posse suis præceptis et legibus quoscumque, etiam Episcopos, ligare, et renitentes pœnis coercere; doctrina vero contraria plena est errore, rebellione et schismate. — Quando sedes Apostolica consentit ut sua constitutio non obliget ante acceptationem et publicationem in diœcesibus, *subdistinguo :* Et tunc Episcopus non acceptans tenetur supplicationem ad Romanum Pontificem dirigere et causas non acceptandi submittere (quas si non approbet Sanctissimus, tenebitur Episcopus acceptare et publicare; si vero approbet ex indulto pontificio illa diœcesis a lege eximetur), *concedo :* et poterit Episcopus constitutionem pontificiam non acceptare, etiam nulla supplicatione directa, aut postquam rationes ab ipso propositæ improbatæ fuerint a Sanctissimo, *nego*. Igitur, ut in tractatu *de Principiis juris canonici* fuse probavimus, si quando lex aliqua pontificia non obligat ante acceptationem in provinciis, id evenit non ex defectu potestatis in Romano Pontifice, sed ex defectu voluntatis. Legitime autem præ-

sumi non potest consensus ille pontificius, nisi sub ea conditione quod Episcopus non acceptans, rationes non acceptandi ad sedem Apostolicam dirigat. Illa autem principia decretis Pianis de missali et breviario applicata, ad hanc deducunt conclusionem : si quis Episcopus ad dictum Pontificem supplicationem mittendo exemptionem pro sua diœcesi, alioquin ex tenore legis non exempta, obtinuerit, de hoc in præsenti dissertatione non curamus; quia jus commune exponimus, non vero indulta pontificia quæ aliquibus ecclesiis concedi potuerunt. Si vero aliquis Episcopus aliter quam supplicationem dirigendo et indultum obtinendo, decretum Pianum a quo attingebatur rejecit, certissime peccavit et minime impedire potuit quin in ipsius diœcesi vim legis habuerit Piana constitutio, ut cum Suarezio communiter tenent doctores.

Propositio 4ª. *Ab obligatione recipiendi breviarium et missale S. Pii V exemptæ sunt ecclesiæ quarum breviarii et missalis formulæ ducentis annis antiquiores erant.* — Hæc valde attendenda dispositio clare constat ex ipsis decreti Pii V verbis : *Abolemus quæcumque alia breviaria vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab ipsis Episcopis in suis diœcesibus pervulgata, omnemque illorum usum, de omnibus orbis ecclesiis, monasteriis, conventibus...; illis tamen exceptis quæ ab ipsa prima institutione a sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quæ (vel ipsa institutio) ducentos annos antecedebat, aliis certis breviariis usa fuisse constiterit : quibus, ut inveteratum illud jus dicendi et psallendi suum officium non adimimus, sic eisdem si forte hoc nostrum, quod modo pervulgatum est, magis placeat (dummodo Episcopus et universum capitulum in eo consentiant), ut id in choro dicere et psallere possint, permittimus.* Idem omnino in bulla *Quo primum tempore* circa missale cautum est. Unde dubium non est ecclesias quæ liturgia ducentis annis antiquiore utebantur, eam legitime potuisse retinere.

Propositio 5ª. *Ecclesiis a decreto Piano exemptis non est facta facultas derelinquendi liturgiam Romanam, eo latiori sensu intellectam, quo intelligitur in bullis Pianis, id est, liturgiam Romanam ante-Pianam.* — In prima hujus capitis propositione vidimus S. Pium V sua direxisse decreta ad ecclesias duntaxat *in quibus officium ex more et ritu Romanæ Ecclesiæ dici debet aut consuevit — in quibus missa juxta Ecclesiæ Romanæ ritum celebrari consuevit vel debet* : in secunda vero propositione probavimus hoc nomine a S. Pio V intelligi eas omnes ecclesias quæ liturgiam Romanæ Ecclesiæ aliquando acceperant, et eamdem quoad substantiam (multis licet additis et immutatis), retinebant; quales erant tunc temporis omnes generatim occidentales ecclesiæ, exceptis quæ ritui Ambrosiano et Mozarabico addicebantur. Ex jure communi, ecclesiæ illæ non poterant liturgiam Ecclesiæ Romanæ sic intellectam deserere, siquidem S. Pius V expressis verbis enuntiat ex jure vel consuetudine fuisse Romano ritui et mori quoad missam et officium adstrictas : imo nonnisi ad ecclesias sic adstrictas sua decreta de novo breviario et missali dirigit. Dum ergo aliquas ex illis ecclesiis in suo statu liturgico relinquit, eas a novo breviario et missali assumendo eximens, jus commune quoad illas non immutat. Ergo, sicut illæ ecclesiæ a novo breviario et missali exemptæ, ante Pium V adstringebantur *liturgiæ Ecclesiæ Romanæ* præfato sensu intellectæ, ita, et nec plus nec minus, post decreta Piana adstrictæ remanserunt. Ergo sicut antea non potuissent suam liturgiam, utpote Romanam quoad substantialia, deserere, sed tantum eam in minoribus corrigere et immutare, ita post bullas S. Pii V remansit et remanet eis dumtaxat jus illud, in non substantialibus corrigendi et immutandi, non vero deserendi. Quod valde attendendum est ad recte determinandum hodie jus commune liturgicum in iis ecclesiis, quæ sub exceptione bullarum Pianarum, ob ducentos annos possessionis se esse existimarunt.

Propositio 6ª. *Ecclesiæ a breviario et missali S. Pii V exemptæ, permissæ sunt tamen illud breviarium et missale amplecti : quæ vero ea facultate usæ sunt, dicto breviario et missali adstrictæ remanserunt.*—I. Ecclesiis, quæ liturgia ducentis annis antiquiore uterentur, indulsit S. Pius V ut, vel eam servarent, vel, si magis eis placeret, correctum Romanum breviarium et missale amplecterentur. Cujus tamen mutationis facultas concessa non est solis Episcopis; sed requisitus etiam fuit universi capituli consensus : *eisdem si forte hoc nostrum* (breviarium) *quod modo pervulgatum est, magis placeat, dummodo Episcopus et universum capitulum in eo consentiant, ut id in choro dicere et psallere possint, permittimus* (bulla *Quod a nobis*). *Si missale hoc quod nunc in lucem edi curavimus iisdem magis placeret, de Episcopi vel Prælati capitulique universi consensu, ut juxta illud missas celebrare possint, permittimus* (bulla *Quo primum tempore*).

Quomodo autem intelligendum sit requiri *universi* capituli consensum, vidimus in superiori paragrapho a doctoribus unanimi sensu explicatum; sufficere nempe majoris capitularium numeri consensum. Ita etiam præter cæteros Cavalieri (tom. II, pag. 193, edit. Venet., 1770) :

« Necessarium est ut interveniat consensus Episcopi et « universi capituli; et cum utriusque consensus copulative « exigatur, alterutrius dissensus præfatæ receptioni officit. « Ut autem *universum* capitulum consentire censeatur, non « exquiritur ut omnes de capitulo, nullo discrepante, con- « sentiant; id namque moraliter expectandum non est, nec « vis verbi hoc exposcit; sed solum quod consensus præ- « stetur a capitulo ut capitulum est, id est, per modum « unius corporis mystici ad hoc congregati; et tunc *univer-* « *sum* consentit, quando major pars vincit, nisi jure ex- « presso amplius requiratur, quemadmodum advertit Sua- « rez » (tom. II, de Relig. lib. de horis can. c. 11, n. 4.)

II. Expendendum remanet utrum ecclesiæ, quibus magis

placuit suam ducentis annis antiquiorem liturgiam deserere, et Romanam a Sancto Pio V evulgatam amplecti, huic posteriori adstrictæ remanserint. Tenendum est eas adstrictas remansisse, ita ut ad pristinam redire, jam ipsis non licuerit: quod probatur 1° Ex sequenti S. Congregationis rituum de- « creto : *Usus missalis et breviarii Romani semel introductus* « *in ecclesia aliqua quæ habebat particulare missale et bre-* « *viarium, confirmandus est, nec licet redire ad usum an-* « *tiqui missalis et breviarii.* » Decretum illud reperies apud Gardellini, tomo VII, pagina 60, in quodam voto patris Zecchinelli societatis Jesu; et apud Cavalieri (t. II, pag. 192, edit. Venet., 1770). In utroque loco dicitur editum in causa *Tullensi, seu nullius*, 15 *martii* 1608. Illud tamen frustra quæres in propria sede chronologica apud Gardellinum. Dicti autem decreti sensum ita exponit Cavalieri : « Properemus ad examen decreti in quo stabili- « tur, quod ab ecclesiis habentibus jus proprii breviarii et « missalis, semel introducto usu missalis et breviarii Ro- « mani, confirmandus est, nec eisdem licet amplius redire « ad usum antiqui missalis et breviarii. Cujus rationem « Suarez (de Horis canonicis, cap. 11, n. 4), Baldellus « (lib. III, disp. 29, n. 9), et Persicus (tract. 6, de Horis « can. n. 5), petunt ex eo quod per breviarii Romani acce- « ptationem antiqua consuetudo revocatur, jus proprii bre- « viarii aboletur, et renuntiatur privilegio in superius re- « censita exceptione contento; et ideo lex Piana de breviario « Romano statim obligat.

« At quid, si per consensum Episcopi et capituli brevia- « rium Romanum acceptatum fuisset, sed eosdem consensus « præstiti statim pœniteat, ita ut nec semel dictum brevia- « rium fuisset in usum inductum? Decretum hanc quæstio- « nem non dirimit, cum procedat sub suppositione usus jam « inducti breviarii Romani. Pro libertate vero proprii bre- « viarii faciunt ea verba decreti, *nec licet redire*, quæ sup- « ponunt discessum a proprio breviario, qui non intervenit

« quoties Romanum nunquam est recitatum; quin imo de« cretum exposcit usum breviarii Romani jam inductum, « ad quem inducendum tres ad minus actus exiguntur. In « oppositum faciunt, quod per consensum semel præsti« tum privilegio breviarii proprii sit renuntiatum et Ro« manum acceptatum, non obstante posteriori dissensu « qui non est attendendus, juxta regulam illam, *quod se« mel placuit, amplius displicere non potest.* Quibus pon« deratis, tu judex esto : nobis namque magis arridet sen« tentia libertati favorabilis. » (Cavalieri, cap. 43, decret. 9 tomo II, pag. 193, edit. Venet., 1770.)

2° Deduci etiam facili ratiocinio potest conclusio ex ipso Piani decreti tenore. In bullis enim Pianis excipiuntur tantum ecclesiæ quæ liturgia 200 annis antiquiore gaudent. Sed Ecclesiæ quæ bis centenariæ suæ liturgiæ usum, ad Pianam migrando, interruperunt, jam nequeunt possessionem suam ducentorum annorum allegare; quia jam falsum est eas uti liturgia 200 annis antiquiore. Ergo attento ipsius decreti tenore jam sub exceptione non comprehenduntur; ergo ecclesiis a decreto non exceptis annumerandæ sunt.

3° Idem tandem constat ex communi doctorum sententia. Legantur eorum testimonia in superiori paragrapho collecta, et reperietur omnes cum Suaresio rem ut certam habere.

Propositio 7ª. *A tempore S. Pii V, duplex liturgia Romana distinguenda est, ut confusio et amphibologia vitetur, et jura pro utraque recte determinentur.*—Ex supra expositis, ante reformationem Pianam liturgiæ totius Occidentis (excepto Ambrosiano et Mozarabico ritu) dici solebant *Romanæ*, quia eædem quoad substantiam cum liturgia Ecclesiæ Romanæ aliquando fuerant, et substantialiter tales remanserant. Diversæ tamen in multis erant, tum inter se, tum a liturgia qualis tempore S. Pii V Romæ vigebat. Ecclesias, quæ aliqua ex hujusmodi *Romanis* liturgiis ducentis annis antiquiore utebantur, noluit S. Pius V suæ re-

formationi subjicere. Potuerunt ergo cum suo breviario et missali remanere; et sic remanentes, *in liturgia Romana*, qualis ante Pium V in Occidente generaliter vigebat et intelligebatur, remanserunt. Aliæ autem ecclesiæ, quæ breviario et missali correcto sancti Pii V adstrictæ sunt, in *liturgia* etiam *Romana* constitutæ sunt; at noviter *correcta;* at valde diverso, ut patet, quia valde strictiori sensu. Pro duplici autem illa specie seu classe *liturgiæ Romanæ*, diversum jus liturgicum omnino, ut videbimus, agnoscendum erit. Dum ergo de *liturgia Romana* quæstio instituitur, nisi accurate præmoneatur utrum de priori, an vero de posteriori agatur, æquivocationi remanet locus. Quam æquivocationem ut in decursu tractatus devitemus, et simul unico verbo rem expediamus, prioris generis liturgiam Romanam *ante-Pianam* vocabimus, posterioris vero *post-Pianam.* Quæ denominatio si cui minus arrideat, parcat tamen quod opportunior menti nobis non occurrerit.

Quam autem *post-Pianam* vocamus, auctores paulo vetustiores vocant vel *Romanam novam*, vel *correctam*, vel *Pianam*. Hodie vero per simplicem denominationem *Romanæ liturgiæ* auctores sæpe intelligunt exclusive *post-Pianam*, id est, a Pio V primum, et postea a sequentibus Pontificibus correctam et determinatam. Hunc ultimum loquendi modum et nos usurpamus, ubi non est æquivocationi locus.

§ III.

In particulari expenditur jus liturgicum de breviario et missali quoad ecclesias latinas quæ liturgiæ post-Pianæ adstringuntur.

Propositio 1ª. *Non potuit post S. Pium V, etiam auctoritate ordinariorum et consentiente capitulo, in breviario et missali Romano-correcto, quidquam addi, detrahi, aut immutari.* — Id enim expressis terminis prohibetur in bullis sancti Pii V : « Statuentes breviarium ipsum nullo un-

« quam tempore vel in totum vel ex parte mutandum, vel « ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum — ac huic « missali nostro nuper edito, nihil unquam addendum, de- « trahendum aut immutandum decernendo, sub indigna- « tionis nostræ pœna... statuimus et ordinamus. » Idem sequitur ex eo quod a Clemente VIII et Urbano VIII, in decretis infra indicandis, sub pœnis prohibeantur imprimi libros illos, nisi cum attestatione ordinariorum qua constet perfecta eorumdem cum Romanis conformitas.

Propositio 2a. *Contra præfati præcepti violatores constitutæ sunt pœnæ canonicæ.* — Id constat ex decreto *Cum in Ecclesia* Clementis VIII; in quo postquam sancitum est breviarium imprimi non posse absque inquisitorum vel ordinariorum licentia, ita subjungitur : « Ipsi autem inquisi- « tores seu ordinarii locorum antequam hujusmodi licentiam « concedant, breviaria imprimenda et postquam impressa « fuerint, cum hoc.. diligentissime conferant.., et quod om- « nino concordent manu propria attestentur; cujus licentiæ « copia initio vel in calce cujusque breviarii semper impri- « matur. Quod si secus fecerint, inquisitores privationis « suorum officiorum.., Antistites vero et ordinarii locorum « suspensionis a divinis ac interdicti ab ingressu ecclesiæ, « eorum vero vicarii privationis officiorum et beneficiorum « suorum, ac præterea excommunicationis absque alia de- « claratione, pœnas incurrant. »

Idem et sub iisdem pœnis sancivit seu potius confirmavit Urbanus VIII in suo decreto *Divinam psalmodiam*, anno 1631, initio breviarii Romani impresso; atque eadem præfati Pontifices quoad Missale statuerunt.

Propositio 3a. *Prædictæ Pontificiæ constitutiones in toto suo robore permansisse censendæ sunt; ita ut neque hodie, in ecclesiis liturgiæ Romanæ post-Pianæ adstrictis, possit legitime et sine pœnis fieri ulla immutatio.* — Nam prædictæ leges Pontificiæ nunquam expresse ab ullo Romano Pontifice abrogatæ sunt. Nec consensu tacito eas

abrogatas fuisse dici potest. Supponi enim nequit consensus tacitus Apostolicæ sedis de abrogandis prædictis constitutionibus, dum S. Rituum Congregatio, ab eadem sede Apostolica instituta in hunc finem ut leges liturgicas recte intelligi et accurate observari procuret, expresse his etiam ultimis annis declaravit easdem S. Pii V et Urbani VIII constitutiones *in suo robore permanere;* atqui ita declaratum fuisse constat ex authentica collectione Gardelliana (t. VIII, p. 177), ubi hæc reperitur ad Cardinalem Episcopum Novariensem responsio :

« Eminentissime et reverendissime Domine observantis« sime — Sacrorum Rituum Congregationi supplex exhibi« tus fuit libellus pro parte sacerdotis Joseph de Vecchi « cæremoniarii istius cathedralis Novariensis, et rectoris « Kalendarii diœcesis; qui advertens ab anno 1788 ad hanc « usque diem, breviaria, horas diurnas, missalia, officia « Beatæ Mariæ Virginis, officia Hebdomadæ majoris, quæ « denuo prælo mandantur, non continere ordinariorum at « testationes queis declaretur, hæc exemplaria concordare « cum his quæ hic Romæ sunt impressa ad tramites bulla« rum sancti Pii V, Clementis VIII, et Urbani VIII, quæ « in fronte breviarii Romani reperiuntur, postulabat decla« rari, utrum etiamnunc servari debeant recensitæ constitu« tiones pontificiæ, et an transgressores pœnas inibi inflictas « incurrant.... Sacra vero Congregatio in ordinario cœtu « ad Vaticanum die inferius posita coadunata, audita rela« tione ab infra scripto secretario facta, omnibus mature « perpensis, accurateque consideratis, Eminentiæ vestræ « scribendum esse censuit ac declarari : *Pontificias consti« tutiones in suo robore permanere, et abusum non esse « tolerandum.* Hæc ejusdem Sacræ Congregationis mandata, « lubentissimo animo dum exequor, Eminentiæ vestræ ma« nus humillime deosculor. Romæ 7 aprilis 1832. Eminen« tissimo et Reverendissimo D. Cardinali Episcopo Nova« riensi. »

Præallata declaratio postea firmata est decreto generali, (apud Gardellinum numero 4581, tom. VIII, pag. 198); ubi relata ut supra Sacræ Congregationis decisione, ita subjungitur :

« Hujusmodi declarationi minime acquiescentes qui pri-« mitus supplicarunt, et probe cum intelligant contra legem « latam non esse aliquo conatu pugnandum, iterum tamen « institerunt, quo traderetur modus et forma quoad usum « eorumdem librorum, quin inflictas pœnas ulla ratione « quis in se convertat... Congregatio... rescribendum ac « decernendum censuit : *Detur generale decretum juxta « mentem*. Mens est, ut ordinarii locorum pro suo munere « invigilent, ut denuo non cudantur supradicti liturgici « libri sine attestatione a pontificiis constitutionibus præ-« scripta... Ad præcludendam demum omnem viam dubita-« tionis tradendamque ipsis ordinariis certam regulam, « typographi Romani deinceps ante impressionem horum « librorum teneantur veniam a Sacra Congregatione impe-« trare, illiusque revisioni subjicere, et attestatione ejusdem « secretarii munire. Atque ita declaravit ac servari manda-« vit. Die 26 aprilis 1834. »

Ad dubium : « An liceat uti breviariis, missalibus, aliis-« que hujus generis sacris libris, qui non præ se ferunt re-« quisitas a pontificiis constitutionibus ordinariorum atte-« stationes, perinde ac si per præscriptionem in contrarium « memoratæ constitutiones censeri debeant non amplius in « suo robore permanentes ? — Sacra Congregatio... rescri-« bendum edixit : *Servetur generale decretum diei 26 « aprilis* 1834... Die 18 februari 1843 » (Apud Gardellini numero 4811, tom. VIII, pag. 393).

Iterum e diœcesi Brixiensi proposita similia dubia 27 februarii 1847; et ad præfatum generale decretum a sacra Congregatione remissum est (in Gardelliana Collectione n. 4913, tom. VIII, pag. 461).

Ergo revera dictæ Pii V et Urbani VIII constitutiones

censendæ sunt hodiedum in suo robore, etiam quoad pœnas in eis contentas, permanere.

Propositio 4ª. *In ecclesiis quæ post bullas Pianas adstrictæ fuerunt Romano breviario et missali correcto, non potuerunt neque adhuc possunt ordinarii prælati ulla sanctorum officia propria auctoritate calendario addere.* — Id constat ex decreto S. Congregationis Rituum ab Urbano VIII approbato et initio breviarii Romani impresso, in quo dicitur :

« Non potuisse, nec posse locorum ordinarios tam sæcu-« lares quam regulares addere calendariis etiam propriis « sanctorum officia, nisi ea dumtaxat quæ breviarii Romani « rubricis, vel S. Rituum Congregationis vel sedis Aposto-« licæ licentia conceduntur. »

Utrum decretum illud attingat etiam ecclesias quæ a bullis Pianis permissæ sunt retinere propriam suam liturgiam ducentis annis antiquiorem, inter doctores controvertitur, ut dicetur infra : at certum est eo decreto saltem attingi ecclesias quæ Romano breviario et missali correcto ex obligatione utuntur.

Propositio 5ª. *Qui recitaret officia, sola auctoritate ordinarii contra præfatum decretum addita, obligationi horarum canonicarum non satisfaceret.* — Constat ex decreti ejusdem tenore: « Quæ omnia decrevit, statuit et mandavit, « sub pœnis contentis in bullis Pii V, quod scilicet non satis-« faciant muneri recitandi divini officii. »

Propositio 6ª. *Contra præfatum decretum admitti nequit ulla consuetudo contraria legitime præscripta.* — Consuetudo enim illa supponeretur legitime præscripta vel ante præsens decretum, vel postea : atqui neutrum admitti posse sic probat Cavalieri (tom. II, pag. 174, edit Venet., 1770) : « Consuetudo quæ in contrarium inducta esse pos-« set, nequit esse præscripta, cum eidem deficiat tempus 40 « annorum, quod jure canonico requiritur ut consuetudo « aliqua, etsi rationabilis, valeat contra jus ecclesiasticum.

« Data namque fuit bulla Pii V anno 1568, a quo tem-
« pore usque ad annum 1602 quo Clemens VIII, recognito
« breviario, aliam edidit ejusdem bullæ confirmativam, non
« intercessere nisi anni 34. Et ab anno 1602 usque ad an-
« num 1628 quo præsens prodiit decretum, nonnisi anni 26.
« Quo decreto extincta cum sit omnis omnino consuetudo
« contraria, nedum in præteritum per verbum *non potue-*
« *runt*, sed etiam in futurum per verbum *non possunt*, et
« consuetudo semel lege reprobata non possit amplius in-
« duci (ut post Panormitanum ait Sylvester verbo *consue-*
« *tudo*, numero 10), sequitur post dictam bullam nutare
« quæcumque officia quæ propria auctoritate essent inducta.
« Nec dicas consuetudinem 40 annorum præscribere contra
« jus ecclesiasticum (cap. *Quarta* et c. *Ad aures*, de præ-
« scrip.); id enim dumtaxat verum est quoties consuetudo
« non est a jure reprobata. Aliam adhibet limitationem
« divus Thomas (1. 2. q. 97. art. 3. ad 2), videlicet quod
« *si adhuc maneat eadem ratio propter quam lex prima*
« *utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudi-*
« *nem vincit*. In nostro autem casu eadem permanet ratio.
« Oppones, quod juxta quamplurimos etsi primi inducentes
« consuetudinem peccent, postquam tamen hæc inducta est,
« cessat obligatio legis, licet irritans sit. Verum id dumtaxat
« procedit quoties intervenit scientia et tolerantia principis
« qui legem tulit : hoc ipso enim quod princeps sciens per-
« mittit consuetudinem adversus legem induci (quam si
« vellet posset inhibere), tunc lex, licet irritans sit, per ta-
« citum principis consensum abrogatur. In præsenti autem
« casu consuetudo utique censeri non potest unquam tacite
« approbata : Pius V quippe additionem præfatam vetuit :
« Clemens VIII et nunc Sacra Congregatio inhibitionem in-
« novarunt ; et hæc, annis 1632 et 1606, iterum sancivit
« solam consuetudinem laudata bulla Piana vetustiorem
« ad effectum posse esse validam. Quare bene subdit Sua-
« rez (tom. II, de Relig. lib. 4, de Horis can. cap. 2, n. 5)

« omnes posteriores consuetudines ita esse reprobatas ut « contra legem prævalere non possint. »

In eo est citatæ argumentationis præcipuum robur quod consuetudo de qua agitur a lege declarata fuerit abusiva. In fronte enim allegati decreti sic legitur : *Sacra Rituum Congregatio, ad tollendos abusus qui variis in locis irrepserunt, re mature discussa, censuit et decrevit* : Inter quos *abusus* primo loco ponitur additio novorum officiorum ex sola ordinarii auctoritate. Decretum autem illud Urbanus VIII fecit suum. In fine enim sic habetur : *facta demum relatione horum decretorum, S. S. D. N. Urbano Papæ VIII, ea laudavit, approbavit, atque ab omnibus ubique sub prædictis pœnis servari præcepit* (apud Gardellini, tom. I, num. 593).

Idem confirmat communis doctorum sententia, qui generaliter tenent nullam consuetudinem, utpote pravam et a lege reprobatam, posse contra Pianum decretum præscribere. Vide testimonia in primo hujus capitis paragrapho collecta.

Propositio 7ª. *Nequeunt locorum Ordinarii, propria auctoritate mutare ritum, qui habetur in calendario Romano seu rubricis breviarii, in altiorem ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum.* — Id expresse sancitur in præfato decreto initio breviarii Romani impresso. Ab ordinario autem non posse ritum mutari in *inferiorem*, quamvis de hoc decretum sileat, sic adnotat Cavalieri : « Licet decretum dicat in *altiorem*, adde *vel depressiorem*; « mens enim decreti est ut nulla mutatio fiat contra ea quæ « in calendario Romano et breviarii rubricis sunt ordi- « nata » (tom. II, pag. 175, edit Venet., 1170). Neque tantum decreti mens, sed et aliorum decretorum tenor hanc conclusionem certam facit. Pianis enim bullis prohibetur quælibet in breviario et missali immutatio; atqui mutatio ritus sive in depressiorem, sive in altiorem, est mutatio in calendario breviarii, ac proin in breviario ipso;

ergo prohibita censenda est. Ex indulto autem licitam esse ritus immutationem certum est; atque justa de causa eam petentibus absque difficultate concedi solet.

Propositio 8ª. *Qui adstringitur breviario Romano Post-Piano, quando copiam hujus breviarii non habet, videtur non teneri ad recitationem officii cum alio breviario.* — De omnibus enim qui hoc modo adstringuntur ita decernit Piana bulla : *neminem ex his, nisi hac formula, satisfacere posse.* Ergo qui hanc formulam non habet, cum non possit per aliam satisfacere, a recitatione officii eximitur. « Quod vero (ait Cavalieri, tom. II, pag. 193 edit. Ve-« net. 1770), dicunt nonnulli de duplici præcepto, scilicet « super recitatione unum, et super formula aliud haberi, « adeoque qui non potest adimplere unum, teneri ad aliud, « bene advertunt Salmanticenses, n. 28, non posse pro-« cedere; alias officium omittens duplex peccatum commit-« teret. »

Ex citatis auctoribus sub paragrapho primo hujus capitis, multo saltem probabilior est sententia quam tuemur.

§ IV.

In particulari expenditur jus liturgicum de breviario et missali quoad ecclesias latinas, quæ novo S. Pii V breviario et missali adstrictæ non fuerunt, et in sua propria liturgia remanserunt.

Ecclesia Mediolanensis duplici titulo Ambrosianam liturgiam retinere potuit : quia scilicet non erat de numero ecclesiarum *ritui Romano* adstrictarum, et quia insuper liturgia propria ducentis annis antiquiore utebatur. Item capellæ Toletanæ diœcesis ex priori titulo suum breviarium et missale Mosarabicum retinere potuerunt. Ex cæteris autem latinis ecclesiis, eæ tantum ab amplexando breviario et missali Piano exemptæ sunt, quæ ducentorum annorum possessione fruebantur.

Quoad hujusmodi ecclesias quæ legitime in propria litur-

gia remanere potuerunt, et de facto remanserunt; determinandum nunc habemus jus liturgicum circa breviarium et missale.

Propositio 1ª. *In dictis ecclesiis non possunt locorum Ordinarii suum breviarium et missale in aliud substantialiter diversum, præter Romanum Post-Pianum, immutare.* — Nam in dictis ecclesiis non possunt locorum ordinarii nisi quod ex jure communi ante S. Pium V vigenti licitum erat. Atqui ante S. Pium V minime poterat Episcopus, etiam consentiente capitulo, antiquam suæ diœcesis liturgiam deserere et novam substantialiter diversam sibi conflare. Supra enim probavimus id nullo tempore licuisse; quia res est de se periculosissima, noxia ac proinde prava. Confirmatur autem ex decreto Piano, in quo postquam narravit Pontifex quomodo non pauci Episcopi id jam suo tempore attentassent, consuetudinem illam *pravam* vocat, *Quin etiam*, ait, *in provincias paulatim irrepserat prava illa consuetudo, ut Episcopi... privatum sibi quisque breviarium conficerent.* Ergo, quamvis prædictæ ecclesiæ dispositioni Pianæ subjectæ non fuerint, non putandum est earum ordinariis licere aut unquam licuisse liturgiam substantialiter novam, derelicta sua legitima, introducere. Id e contra semper fuisse jure communi prohibitum et illegitimum censendum est. Excipitur tantum casus quo Episcopus et capitulum vellent ad liturgiam Romanam Post-Pianam migrare, quia id expresse eis concedit S. Pius V.

Idem invicte sequitur ex Piani decreti tenore, quoad ecclesias titulo possessionis ducentorum annorum exceptas. Eas enim Pius V supponit jam adstrictas *liturgiæ Ecclesiæ Romanæ;* breviaria siquidem a suo correcto diversa tollit *de omnibus orbis ecclesiis.. in quibus alias officium divinum Romanæ Ecclesiæ ritu dici consuevit aut debet.* Dum ergo postea ab ea lege excipit illas quæ propria formula a ducentis annis utuntur, eas supponit et relinquit *ritui Romanæ Ecclesiæ*, licet cum propriis quibusdam va-

riationibus, adstrictas. Ergo dictæ ecclesiæ, utpote pro quibus jus mutatum non est, adhuc adstringuntur *liturgiæ Ecclesiæ Romanæ* eo sensu intellectæ quo intelligebatur tempore S. Pii V, id est quoad substantiam et cum propriis quibusdam variationibus. Ergo locorum ordinarii in dictis ecclesiis non possunt liturgiam ita mutare ut non remaneat *Romana* juxta prædictum sensum; ergo eam non possunt mutare substantialiter; ergo non possunt novam quoad substantialia introducere.

Præterea eas tantum ecclesias excipit S. Pius V, quæ a ducentis annis propria utuntur liturgia. Sed statim ac Ordinarius breviarium et missale ducentis annis antiquiora, cum novo breviario et missali substantialiter diversis commutavit, jam falsum evadit in ea ecclesia existere liturgiam a decreto Piano exceptam; ergo ea ecclesia sub vim decreti Piani cadit; ergo quoad ipsam jam urget præceptum accipiendi breviarium et missale Pianum; ergo illegitimum est novum breviarium et missale ab Ordinario introductum. Unde, ut dictæ ecclesiæ gaudeant exceptione in decreto Piano expressa, necesse omnino est ut conservent, quoad substantiam saltem, suum breviarium et missale ducentis annis antiquiora. Illud enim breviarium et missale, et non aliud diversum et novum, excepit S. Pius V. Quænam autem immutatio censeri debeat substantialis aut non substantialis, non videtur posse regula generali decerni, sed a judicio prudentum pendere.

Idem constat insuper ex recenti S. Congregationis rituum declaratione diei 10 januarii 1852. Ecclesia videlicet Cenomanensis in Gallia, proprio breviario et missali ducentis annis antiquiore, sancti Pii V tempore utebatur; eamque liturgiam, ad formam Pianæ correctam, servavit ad annum usque 1748 : quo tempore substantialiter diversum noviterque confectum breviarium et missale inductum est. Re sic exposita, postulavit reverendus Lottin, Cenomanensis canonicus, a Sacra Congregatione declarari :

Utrum licita fuerit annis 1748 et 1749 innovatio breviarii missalisque Cenomanensium a ritu Romano prorsus alienorum, amotis prius veteribus ad formam Romanam correctis breviario et missali, sola Episcopi et capituli ecclesiæ Cenomanensis auctoritate, et inconsulta sede Apostolica, facta aut probata? Et responsum est *negative.* Unde concludere licet quaslibet ecclesias in decreto Piano ob ducentorum annorum possessionem exceptas, potuisse quidem suam propriam liturgiam servare, minime vero in aliam novam substantialiter diversam immutare.

Propositio 2ª. *Prædictarum ecclesiarum Prælati non possunt ullam officiorum additionem suis calendariis propria auctoritate facere.* — Adducemus primo auctores qui contrarium tenuerunt : tum ostendemus eos errasse ex eo quod non noverint decisionem S. Congregationis rituum diei 28 octobris 1628, quæ rem omnino certam facit. Sic habet Cavalieri (tom. II, pag. 175, edit. Venetiana 1758, — cap. 41, decretum 2): « Ad Episcopos, quorum eccle-« siæ proprio gaudent breviario, sermonem convertimus; « quos Meratus (sect. 2, c. 2, n. 4) obligatos censet, non « quidem ex vi bullæ Pianæ, sed ex aliis Ecclesiæ canoni-« bus, nullam officiorum additionem propriis calendariis « facere; Guyetus vero (lib. 3, cap. 1. q. 8) vult nihil iis-« dem de suo antiquo jure fuisse detractum. Non sane a « bulla Piana quæ uti eosdem non adstringit Episcopos ad « susceptionem breviarii Romani, quod est principale, ita « nec ad accessoria ; indubium enim est, quod dum muta-« tionem, additionem et detractionem quamlibet inhibet, de « ea sermo est quæ fieret breviario Romano. Non a bulla « Clementis VIII, quæ non nisi est reformatoria breviarii « Romani et confirmatoria bullæ Pianæ. Non a præsenti « decreto (1), quod, licet officiorum extensionem Episcopis

(1) Loquitur ibi Cavalierus de decreto S. Congregationis rituum diei 16 januarii 1607, apud Gardellini, sub numero 191.

« universim vetitam præseferat, cum tamen in *Boianensi* « sit editum, quæ est urbs regni Neapolitani usui Romano « addicta, ad rem sufficienter suffragari non potest. Non « denique a præcedenti decreto (1), aut quibuscumque aliis « quæ nos novimus; sunt quippe omnia correlativa ad bul- « lam Pianam, vel ejusdem, aut rubricarum Romanarum « explicite vel implicite memoriam invehunt. Satius igitur « Meratus egisset, si canones quos ipse novit exposuisset, « ut iisdem etiam nos potuissemus obsequi.

« Etsi tamen præfatos Episcopos memorata facultate « spoliatos per aliquem Ecclesiæ canonem nos ignoremus, « eadem uti non debere sentimus, quia satis ex proditis « monumentis elucet mens Apostolicæ sedis sibi reservandi « officiorum concessiones, et finis ejusdem reservationis, « tollendi scilicet varietatem orandi, quæ adhuc integra « subsisteret in Ecclesia Dei, si nova prædicti Episcopi in- « vehere possent officia. Gaudeant ergo ipsi propria for- « mula, quæ non est nisi modus quidam orandi a Romano « diversus, sed non inducant officia sanctorum, de quorum « sanctitate solius Romanæ Ecclesiæ sicut est judicare, ita « permittere quod speciali officii cultu honorentur; et præ- « sertim quia cum divinum officium sit oratio publica, no- « mine totius Ecclesiæ ad Deum fusa, ab eo qui totius Ec- « clesiæ regimen habet, et decet unice regi. »

Ut probetur errasse Cavalierum et ejusdem sententiæ auctores, sufficit ut certa probentur hæc duo : 1° Per decretum jussu Urbani VIII editum et initio breviarii Romani affixum prohiberi locorum ordinarios ne ulla sanctorum officia, calendariis etiam propriis, auctoritate propria addant. 2° Illo decreto comprehendi etiam ecclesias quæ ob ducentorum annorum possessionem a sancto Pio V permissæ sunt proprium suum breviarium et missale servare. Atqui utrumque constat. Decretum quidem jussu Ur-

(1) Nempe 8 aprilis 1628, apud Gardellini, numero 593.

bani VIII editum et breviario Romano præfixum expresse definit : *Non potuisse, nec posse locorum ordinarios tam sæculares quam regulares addere calendariis etiam propriis sanctorum officia, nisi ea dumtaxat quæ breviarii Romani rubricis, vel sacræ rituum Congregationis, vel sedis Apostolicæ licentia conceduntur* (in collectione authentica Gardellini, n. 593). Quum postea nonnulla orta fuissent dubia circa illud decretum (quod vocari solet *Decretum circa abusus*), die 28 octobris 1628 ita declaratum est : *Decretum contra abusus comprehendit etiam breviaria tolerata a Pio V, excedentia bis centum annos, hoc modo videlicet, ut non possit eis addi aliquod festum sanctorum, nec minus ratione reliquiarum, nisi modo et forma contenta in decreto, et consulta sede Apostolica.* (Apud Gardellini, n. 625.)

Dum fatetur Cavalierus sibi nullum notum fuisse S. Congregationis decretum, quo, in ecclesiis propria liturgia ob 200 annorum possessionem legitime utentibus, prohibeantur officiorum additiones ex sola Ordinarii auctoritate, profecto indicat præcitatam declarationem ipsi ignotam remansisse. Si autem eam novisset, procul dubio thesim nostram omnino asseruisset. Neque enim post talem declarationem ullo modo dubia esse potest.

Propositio 3ª. *Quando a sede Apostolica novum aliquod officium Ecclesiæ universali conceditur sub præcepto, certum est ecclesias omnes, etiam eas quæ proprio breviario legitime utuntur, ad hujusmodi officium adstringi.* —Benedictus XIV, loquens de *concessione officii et missæ pro universa Ecclesia,* ita habet : *Duplici modo expletur hæc concessio, id est, vel ad libitum, vel sub præcepto* (de Beatif. et canoniz., lib. IV, part. II, c. 6, n. 5). Hujusmodi concessionum varias formas enucleatius exponit Cavalierus hoc modo : « Multiplici licet formula reperiantur « expressa officiorum indulta, reapse tamen dumtaxat tri« plex est, ad quam reliquæ spectant, vel facile reducuntur.

« Sunt quæ præceptivis terminis constant, puta *recitari* « *debere censuit*, *fieri debeant*, *recitare teneantur*, *cele-* « *brari mandavit*, *agant*, etc. Et cum verba quibus sunt « expressa, præceptum ac mandatum importent in conce- « dente, obligationem et debitum in iis quibus officia com- « mittuntur, dubium non est quod designant officia de « præcepto, ad quorum recitationem in proprio die (vel hoc « impedito, in primo non impedito), clerus manet adstri- « ctus. Alia sunt quæ terminis facultativis sunt concepta, « et insuper adnexam habent notulam *ad libitum ;* videlicet, « *indulsit fieri ad libitum cleri*, *celebrari posse ad libi-* « *tum concessit*, etc. Et cum hujusmodi expressio indul- « gentiam denotet in concedente, et libitum seu placitum « in clero, habeaturque in ea discrte notula *ad libitum*, « quis unquam ambigeret sic concessa officia ad classem « festorum ad libitum non esse revocanda? Sunt denique, « quæ per verba quidem dumtaxat facultativa exarata inve- « niuntur, sed sine additione notulæ *ad libitum ;* cujusmodi « sunt, verbi gratia, *fieri posse concessit*, *recitari posse* « *censuit*. Et de his dubitatio procedit, ad quam classem « festorum pertineant; ad libitumne, an de præcepto, an « vero tertiam quamdam constituant speciem quæ mediet « inter festa de præcepto et ad libitum » (cap. 23, de Festis de non præcepto, tom. II, pag. 84, edit. Venet., 1758). Controversiam de tertia concessionum classe, in quibus nempe nec exprimitur præceptum, nec apponitur notula *ad libitum*, fuse ibidem discutit Cavalierus; et concludit hujusmodi festa censenda esse de præcepto *postquam fue-runt acceptata ;* quod variis sacræ Congregationis rituum declarationibus consentaneum probare conatur.

His prænotatis, ad demonstrandam thesim, quæ circa concessiones *sub præcepto* dumtaxat versatur, accedamus.

I. Invictum desumitur argumentum ex potestate legislativa sedis Apostolicæ in universalem Ecclesiam. Certum est nempe posse Romanum Pontificem leges disciplinares ferre

quæ omnes mundi ecclesias adstringant; ex eo quod de fide sit, et a Florentino œcumenico concilio definitum, ad Romanos præsules pertinere *plenam potestatem universalem Ecclesiam pascendi, regendi atque gubernandi*. Unde, ut aliquod pontificium decretum omnes ecclesias obliget, satis est illud per modum legis universalis edici. Atqui concessio novi festi et officii, facta *sub præcepto* toti Ecclesiæ, universalis et proprie dictæ legis pontificiæ rationem habet. Exprimit enim præceptum, et quidem in perpetuum, et ab omnibus absque exceptione observandum. Ergo tali præcepto subjacent omnes ecclesiæ; ergo et illæ etiam ecclesiæ quæ proprio breviario legitime utuntur.

Præterea dictæ ecclesiæ quæ proprii breviarii privilegio gaudent, ideo non tenerentur ad festum et officium quod universaliter præscribit sedes Apostolica, quia hoc proprii breviarii privilegium necessario includeret privilegium exemptionis ab officio quocumque quod præciperet Summus Pontifex; atqui id falsum est : dum enim S. Pius V permisit servari breviaria ducentis annis antiquiora, minime simul facultatem fecit non observandi festa et officia quæ in posterum a sede Apostolica in universali Ecclesia præscribi possent. Unde officiis universaliter *sub præcepto* constitutis non minus subjiciuntur ecclesiæ proprio breviario legitime utentes, quam cæteræ omnes.

II. Accedit unanimis doctorum consensus, qui rem tanquam omnino certam et extra controversiam positam tradunt. Satis sit hæc pauca Cavalieri verba citasse : « Ut « autem certa ab incertis separentur, indubium est quod offi- « ciorum concessiones quæ Ecclesiæ universali, seu pro « omnibus qui ad horas canonicas tenentur, ab Apostolica « sede indulgentur, non minus breviario proprio utentes « adstringunt. » (Tom. II, pag. 175, edit. Venet., 1758.)

III. At quæri ulterius posset, utrum ecclesiæ omnes, atque etiam proprio breviario legitime utentes, ad prædicta officia adstringantur etiam quoad diem et formulam decreto

pontificio assignatam. Affirmative respondendum probat Cavalieri tum pluribus sacræ Congregationis rituum decretis, tum doctorum auctoritate (cap. 12 de Concessionibus universalibus, t. I, p. 231 et seq., edit. Venet., 1758). Et ratio patet : nam, dum Summus Pontifex aliquod officium ad Ecclesiam universalem sub præcepto extendit, non tantum præcipit aliquod celebrari officium aliqua anni die, sed simul præcipit cum tali formula et tali die officium illud celebrari. Ergo sub præceptum cadit dies et officii formula. Quod ut cursim nonnullis auctoritatibus firmemus, citabimus responsum sacræ Congregationis rituum circa festum S. Nominis Jesu, quod in universali Ecclesia dominica II post Epiphaniam celebrandum auctoritate Apostolica decretum fuerat : *Omnes teneri, sub pœnis de non satisfaciendo officio divino aliisque in bulla S. Pii V contentis, novissimo decreto die* 29 *novembris* 1721, *pro universali Ecclesia edito se conformare* (apud Cavalieri, loco citato). Circa quod decretum anni 1721, ita advertit Merati : « Notandum est quod per prædictum generale decretum « derogatur concessionibus particularibus alias factis reci« tandi tale officium die 14 januarii; nunc enim omnes te« nentur illud celebrare in dicta dominica II post Epipha« niam » (apud Cavalieri, loco citato). Idem pariter asserit Pittonus : « Notandum quod idcirco non possunt « amplius se tueri Franciscani antiquissimo privilegio sibi « primum concesso, ad sustinendam diem 14 januarii, pro « hujusmodi officii recitatione, nisi aliud de novo sibi con« cedatur. » Quibus citatis auctoribus, subjungit Cavalierus: « Quod isti auctores asserunt de die in qua celebrandum « est dictum festum, eadem indubie ratione dicendum est « de qualitate officii » (cap. 12, de Concessionibus univers., t. II, p. 232, edit. Venet., 1758).

IV. Ex dictis facile concludi potest quam illegitima fuerit et scandali plena, resistentia qua olim in Gallia multi officium et festum sancti Gregorii VII repulerunt. Officium

enim illud sub præcepto ad universalem Ecclesiam extensum fuerat : « Per decretum sanctæ memoriæ Benedicti XIII, editum die 25 septembris 1728; in quo mandavit, ut ejus missa et officium in breviario ac missali « Romano apponeretur; atque in posterum die 25 maii sub « ritu duplici missa ipsa celebraretur et officium recitaretur « ab omnibus Christi fidelibus tum sæcularibus, tum regu- « laribus, qui ad horas canonicas tenentur... Idem Pontifex, « in suis litteris apostolicis... die 19 decembris 1729, irrita « fecit mandata, edicta et alia gesta quorumdam magistra- « tuum, seu officialium et ministrorum sæcularium adversus « decretum modo dictum extensionis ad universos Christi « fideles » (Benedictus XIV, de Beatific. et canoniz., lib. 1, cap. 41, n. 32).

Propositio 4ª. *In ecclesiis quæ proprium breviarium et missale legitime habent, utpote a decreto Piano exceptæ, potest Ordinarius prohibere Romani breviarii et missalis usum.* — Ita doctores communiter. Aliquos citabimus qui rationes exponunt ex quibus thesim tanquam certam habendam esse satis liquebit.

Castropalao, postquam dixit probabilius sibi videri, « exemptos in bulla Pii V, non posse propria auctoritate « formula breviarii Romani recitare, omissa propria suæ « ecclesiæ, » sic addit : « Et hæc sententia nullam habet du- « bitationem, cum Episcopus seu prælatus iis clericis sibi « subditis præcipit ne alio officio utantur : quod sine dubio « facere potest; sicut fecit S. Carolus archiepiscopus Medio- « lanensis, qui omnibus clericis suæ diœcesis præceptum im- « posuit ut officio Ambrosiano uterentur. Hoc enim præcep- « tum conforme est bullæ Pii V, quæ consuetudines recitandi « antiquiores ducentis annis in suo robore et fortitudine « reliquit. Obligat ergo tale præceptum, utpote de re li- « cita et honesta. » (Vide citationem integram sub primo hujus capitis paragrapho relatam.)

Pariter Bonacina, loquens de ecclesiis in decreto Piano

exemptis, dicit ibi probabiliter posse clericos privatim recitare breviarium Pianum, « modo non adsit præceptum in « contrarium, ut Mediolani, ubi clerici ex decreto D. Caroli « jubentur in virtute sanctæ obedientiæ horas canonicas « recitare juxta præscriptum breviarii Ambrosiani; ex quo « licet inferre, justa de causa, exempli gratia ad servandum « propriæ ecclesiæ ritum, ferri posse constitutionem obli« gantem ad recitandum officium juxta talem ritum; conse« quenter officium divinum non posse recitari juxta brevia« rium Romanum ubi præceptum extat in contrarium, ut « Mediolani diximus reperiri. » (Vide citationem integram supra in primo hujus capitis paragrapho.) Concordantes reperientur alii doctores, a quorum citatione abstinemus. Rationes autem a Castropalao adductæ, et S. Caroli Borromæi agendi ratione confirmatæ, ad certam efficiendam thesim sufficere videntur.

Propositio 5ª. *Ubi habetur legitime proprium breviarium, et nullum extat Episcopi præceptum illud (etiam privatim) adhibendi excluso Romano, an quisque privatim Romanum recitare possit, videtur etiamnum controverti posse.* — Quod olim res controversa fuerit, patet ex documentis sub paragrapho primo præsentis capitis collectis. Et communior quidem videtur fuisse sententia negans, quam Suaresius probabiliorem existimat; non posse scilicet in dicto casu clericos, licet privatim recitantes, Romano breviario uti, sed proprium breviarium esse ab eis adhibendum.

An autem hæc controversia finem acceperit per aliquam sedis Apostolicæ aut Congregationum Romanarum decisionem, mihi compertum non est.

Adducitur quidem a Garcia, et ex Garcia a multis aliis canonistis decisio quædam sacræ Congregationis concilii; at nullus (quem viderim) indicat quo loco in libris authenticis decretorum jaceat, ita ut eam verificare nequiverim. Neque præterea illam apud Zamboni memoratam inveni; unde, cum nonnullas apocryphas ejusmodi decisiones veteres auctores

quandoque citaverint, suspecta mihi remanet quæ apud Garciam reperitur. Cæterum, si authentica esset, controversiam prorsus dirimeret. De qua re sic disserit Cavalierus : « Salmanticenses (tract. 16, c. 1, punct. 4, n. 26), Sanchez « (tom. II concil. l. II, dub. 23, n. 2), Pellizarius (tract. 5, « c. VIII, n. 18), aliique plurimi, integrum iisdem faciunt « privatim recitare juxta breviarium Romanum; tum quia « Pius V, dum exigit consensum capituli et prælati ad relin- « quendum breviarium propriæ ecclesiæ, loquitur expresse de « recitatione *publica et in choro*, unde videtur concedere li- « centiam ad recitandum extra chorum juxta Romanum; « tum quia sic recitans se conformat Ecclesiæ Romanæ, quæ « est omnium mater. Attamen communior sententia priva- « tim recitantem ad recitandum adstringit juxta formam « proprii breviarii, quia ad sequendum Romanum in choro « exposcit Pius consensum Episcopi et capituli ; ergo et extra « chorum : quia privata recitatio subrogatur loco publicæ; « quilibet enim sequi debet suam ecclesiam ejusque ritui se « conformare (juxta cap. *De his* et c. *Placuit*, dist. 12).

« Dubium omne tollit declaratio S. Congregationis concilii « quæ per Garziam (de Benef. part. 3, c. 1, n. 155) sub « his terminis refertur : *habentes breviarium ante ducen-* « *tos annos institutum, non satisfaciunt recitando, etiam* « *extra chorum, juxta formam breviarii novi Pii V, si* « *hoc in sua ecclesia non fuit receptum de consensu Epi-* « *scopi et capituli* » (Cavalieri, t. II, pag. 193, edit. Venet., 1770).

Dubium omne tolli per hujusmodi declarationem libenter et nos cum Cavaliero dicimus; sed addimus : modo sit authentica.

Nota. Recentes quidam Galliæ auctores, liturgiis illegitime contra S. Pii V decretum inductis applicarunt, quæ a doctoribus dicuntur de liturgiis particularibus legitime ob possessionem ducentorum annorum servatis. Unde innuunt incertum esse, utrum in diœcesibus Galliæ, in quibus vi-

gent prædictæ liturgiæ illegitime introductæ, liberum sit clericis privatim recitantibus Romano breviario uti. In quo lectores suos enormiter decipiunt : doctores enim quæstionem illam tantum movent de liturgiis propriis, quæ ob ducentorum annorum antiquitatem legitime retineri potuerunt, ad terminos Piani decreti. De cæteris vero liturgiis contra hoc decretum retentis aut inductis, non tantum non sustinent clericos probabiliter in recitatione privata teneri ad eas adhibendas, omissa Romana; sed aperte, et ex professo, et tanquam certissimum docent, illicitum esse earum usum, et privatim et in choro; et illas liturgias nulla consuetudine potuisse legitimas evadere; et per illas non posse debito horarum canonicarum satisfieri; et in diœcesibus ubi tales introductæ sunt liturgiæ, teneri omnes et singulos Romana formula uti; quod patet ex textibus Suarezii et aliorum sub primo præsentis capitis paragrapho collectis.

Propositio 6ª. *In prædictis ecclesiis remansit facultas, aliqua non-substantialia in breviario et missali corrigendi et immutandi absque sedis Apostolicæ facultate; salva tamen prohibitione calendariis nova officia addendi, et obligatione celebrandi officia universaliter et sub præcepto ab Apostolica sede concessa.* — Non remansisse facultatem corrigendi et immutandi *substantialia* sequitur ex superius stabilita prima propositione, ubi probatum est in hujusmodi ecclesiis liberum ordinariis non esse breviarium et missale in aliud substantialiter diversum commutare. Quod autem remanserit potestas quoad correctiones et mutationes *non-substantiales*, sequitur ex eo quod eam de jure communi habuerint Ordinarii ante Pium V, et jus illud a Pio V sublatum non fuerit. Eam potestatem fuisse de jure communi ante S. Pium V, probat, tum perpetua praxis hujusmodi immutationum non-substantialium absque ullo ad sedem Apostolicam recursu, tum communis doctorum sententia qui eam praxim juri communi consentaneam tradunt, tum varii juris canonici textus a prædictis doctoribus alle-

gati. Id tantum in quæstionem vocari posset, utrum hujusmodi immutationes inducere potuerit quisque in sua diœcesi Episcopus, an autem metropolitani aut concilii provincialis necessaria fuerit auctoritas. Quam quæstionem eruditis enucleandam relinquentes, animadvertemus tantum quoad eam rem variasse jus pro variis temporibus et variis ecclesiarum consuetudinibus. At quocumque modo se res habuerit, remanet sedi Apostolicæ ante S. Pium V reservatam non fuisse immutationum non-substantialium potestatem. Sed neque jus illud commune sustulit laudatus Pontifex quoad ecclesias, quibus propriam suam liturgiam ducentis annis antiquiorem permisit. Nam prohibitio quidquam immutandi, addendi, detrahendi, respicit dumtaxat correctum breviarium et missale cæteris omnibus ecclesiis impositum. Quo vero ad liturgias ducentis annis antiquiores et permanere permissas, nihil tale statuitur; ergo jus commune circa eas antea vigens non abrogatur; ergo sicut nec antea, ita neque post S. Pium V sedi Apostolicæ reservata fuit immutationum non-substantialium facultas.

Addidimus tamen in thesi, *salva prohibitione calendariis nova officia propria auctoritate addendi.* Nam in secunda propositione probavimus eam prohibitionem ad ecclesias, propria liturgia legitime utentes, extendi.

Item addidimus, *salva obligatione celebrandi officia universali Ecclesiæ sub præcepto concessa;* quia, ut in tertia propositione ostensum est, illa obligatio diœceses etiam propria liturgia legitime utentes attingit.

§ V.

In particulari expenditur jus liturgicum quoad ecclesias quæ, cum tenerentur breviarium et missale S. Pii V amplexari, decreto Piano non obedierunt.

Triplici modo evenire potuit ut dictæ ecclesiæ legi Pianæ non paruerint : 1° scilicet, retinendo propriam breviarii et

missalis formulam quamvis ducentis annis non antiquiorem ; 2° assumendo breviarium et missale a Piano diversum, relicta propria formula, sive antiquiore, sive non antiquiore ducentis annis ; 3° assumendo Pianam liturgiam, sed postea eamdem relinquendo, sive ad redeundum ad suam propriam quam reliquerant, sive ad aliquam aliam noviter confectam amplexandam.

Quid juris in triplici hoc casu oriatur, per sequentem propositionum seriem expendimus.

Propositio 1ª. *Quodlibet breviarium et missale sedis Apostolicæ auctoritate non approbatum, damnatum fuit sub pœna non satisfaciendi debito horarum canonicarum, et sub pœna librorum prohibitorum.* — Cum breviaria et missalia constent officiis et missis, illud breviariis et missalibus applicandum est, quod fuit de officiis et missis decretum. Atqui prædictam condemnationem quoad officia non approbata sic testatur Barbosa :

« Fuerunt a S. rituum Congregatione damnata officia « a sede Apostolica non approbata, sub pœna librorum « prohibitorum, et non satisfaciendi muneri recitandi di- « vini officii, sub die 8 aprilis et 28 octobris 1628 » (Barbosa, de Officio et potestate parochi, part. 1, cap. x, n° 12).

Verba ipsa decreti in medium adducamus : « Missas item « quæ circumferuntur a sacra Congregatione non approba- « tas sancti Gregorii pro vivis et defunctis, quindecim « auxiliatorum et de Patre æterno, *et quascumque alias*... ; « sicut etiam *officia ab eadem non approbata*, prohibuit, « rejecit omnino, et damnavit respective, et pro prohibitis, « rejectis et damnatis haberi voluit. Quæ omnia decrevit, « statuit et mandavit sub pœnis contentis in bullis Pii V « initio breviarii et missalis positis ; quod scilicet non sa- « tisfaciant muneri recitandi divini officii ; quo vero ad « utentes supra dictis missis, sub aliis pœnis contentis in « indice librorum prohibitorum ex decreto concilii Tri- « dentini edito... Facta demum relatione horum decreto-

« rum sanctissimo domino nostro Urbano Papæ VIII ea « laudavit, approbavit, atque ab omnibus ubique, sub « prædictis pœnis servari præcepit » (apud Gardellini, n° 593).

Extat circa eamdem materiam decretum de *libris prohibitis nec in Indice nominatim expressis*, quo inter libros prohibitos recensentur sequentes : 4° *Missalis Romani omnia exemplaria alterata post edictum Pii V.* — 5° *Officia B. Mariæ Virginis, vel sanctorum aut sanctarum, aliaque hujusmodi, absque approbatione sacræ rituum Congregationis edita vel edenda* (Initio libri Indicis, pag. XLVI, editio anni 1835).

Ex illis autem decretis sic arguere licet : officia quidem et missæ ducentis annis, tempore S. Pii V, antiquiora, non cadunt sub prædictorum decretorum condemnationem, cum fuerint per bullam Pianam permissa et approbata. At vero quælibet alia missarum et officiorum formula, quæ in missali et breviario Romano non reperitur, nec fuit a sacra Congregatione rituum approbata, expressissimis terminis damnatur. Omnino enim perspicua sunt verba illa, *quascumque alias missas a sacra Congregatione non approbatas, sicut etiam officia ab eadem non approbata.* Nec minus clara sunt verba libri Indicis : *Officia B. Mariæ Virginis, vel sanctorum aut sanctarum, absque approbatione sacræ rituum Congregationis edita vel edenda.* Damnantur autem et prohibentur prædicta officia sub pœna non satisfaciendi divini officii debito; et prædictæ missæ, sub pœna librorum Indice prohibitorum. Ergo breviaria et missalia quæ prædictis officiis et missis constant, eidem prohibitioni et damnationi subjiciuntur.

Propositio 2ª. *Graviter initio peccaverunt tum Prælati, tum eorum subditi ad horas canonicas adstricti, qui breviarii et missalis sui formulam, ducentis annis non antiquiorem, retinuerunt.* — Illi enim graviter peccant, qui legem eos sub gravi obligantem transgrediuntur; atqui

supra in propositione 3ª paragraphi secundi, probatum est legem Pianam quoad dictas ecclesias sub gravi obligatoriam fuisse; et lex illa expresse prohibebat retineri breviaria et missalia ducentis annis non antiquiora; ergo qui initio huic legi non obtemperarunt, graviter peccaverunt. Quod tamen intelligitur seclusa bona fide. Si autem aliquid hujusmodi alicubi accidit, ex errore et bona fide factum fuisse supponendum est.

Præterea, illi graviter peccaverunt, qui horarum canonicarum obligationi minime satisfecerunt; atqui retinentes breviarii formulam ducentis annis non antiquiorem, dictæ obligationi non satisfecerunt; cum lex Piana ita breviaria istiusmodi annullasset, ut jam non posset per ipsa satisfieri.

Confirmatur ex communi doctorum sententia, de qua satis constat ex testimoniis sub primo hujus capitis paragrapho collectis.

Propositia 3ª. *Breviaria et missalia ducentis annis non antiquiora, et contra præscriptum Pianum retenta, non facta sunt consuetudine sive præscriptione legitima.* — 1° Consuetudo quæ considerata cum circumstantiis ab ipsa nunquam sejunctis, prava est et tanquam corruptela habenda, nullo tempore legitime contra legem præscribere potest; atqui talis est consuetudo de qua agimus : pravum est enim contra legem Ecclesiæ retinere liturgias, quas sedes Apostolica periculosas judicavit; atqui sedes Apostolica liturgias ducentis annis non antiquiores, utpote non satis tutas, sublatas voluit. Item pravum est impedire ne obtineatur illa liturgica unitas quam sedes Apostolica judicavit Ecclesiæ maxime profuturam; atqui sedes Apostolica ita censuit unitatem liturgicam esse stabiliendam, ut ab ea exciperentur tantum liturgiæ ducentis annis antiquiores. Duæ autem illæ pravitates liturgiis ducentorum annorum possessione minoribus, et auctoritate privata cujusque ecclesiæ contra legem pontificiam retentis, semper inhærebunt. Ergo consuetudo eas liturgias retinendi semper aliquatenus prava

erit. Cujus rationis si quis forte lector omminodam vim non admittat, ea prætermissa, rogamus ut sequentes sedulo perpendat.

2° In propositione 1ª vidimus damnatas et prohibitas fuisse missarum et officiorum formulas, sedis Apostolicæ auctoritate non approbatas; damnantur autem tanquam abusus et corruptela; si quidem decretum generale sacræ rituum Congregationis ab Urbano VIII confirmatum expresse declarat ita sanciri *ad tollendos abusus*. Quod autem lex semel reprobavit tanquam abusum et corruptelam, nulla potest consuetudine legitimum fieri. Jam vero officiorum et missarum formulæ, ducentis annis tempore Pii V non antiquiores, non tantum non fuerunt a sede Apostolica approbatæ, sed e contra a dicto Pio V fuere diserte et expressis terminis cassatæ et prohibitæ; ergo sunt et remanserunt de numero earum formularum, quæ tanquam abusus et corruptela a lege reprobatæ sunt; ergo nulla consuetudinis diuturnitate legitimæ evadere potuerunt.

3° Consuetudo contra legem nunquam præscribere potest nisi accedente tacito saltem et legitime præsumpto legislatoris consensu; quod principium sive axioma tanquam certissimum ab omnibus admittitur. Atqui legitime præsumi non potest Summus Pontifex consentire ut non serventur constitutiones S. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII. Tunc enim legitime supponi nequit Papam consentire ut aliqua lex non vigeat, quando ipsius tribunalia, Congregationes scilicet Romanæ, expresse e contra declarant legem illam vigere et in toto suo robore permanere, non obstantibus contrariis consuetudinibus. Atqui authenticas hujusmodi declarationes habemus, etiam infra proxime elapsos quadraginta annos prolatas; quas, licet jam supra expositas, iterum hic pro rei gravitate recensemus. In diœcesi Novariensi ab anno 1788 usque ad annum 1832, id est per 44 annos, non observata fuerat bullarum S. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII dispositio, qua prohibetur sub pœnis,

ne imprimantur breviaria aut missalia nisi Romanis, a dictis Pontificibus correctis, conformia, et cum attestatione ordinarii perfectam illam conformitatem declarante. Anno ergo 1832 expostulatum fuit *utrum etiamnunc servari debeant recensitæ constitutiones, et an transgressores pœnas inibi inflictas incurrant.* Et sacra rituum Congregatio respondit: *Pontificias constitutiones in suo robore permanere, et abusum non esse tolerandum* (Gardellini, t. VIII, p. 177). Ergo, declarante sacra Congregatione, consuetudo contraria plus quam quadragenaria non impediverat, quin dictæ bullæ *in suo robore permansissent;* et illa consuetudo nedum legitime præscripsisset, declaratur *abusus*. Legitime autem præscripsisset illa consuetudo, si tacitus et legitime præsumptus Papæ consensus accessisse censendus foret. Ergo hujusmodi consensus pontificius non debet nec potest legitime præsumi, quoad tales consuetudines dictis bullis contrarias.

Die 26 aprilis anni 1834, circa eamdem quæstionem S. Congregatio sic decrevit : *Detur decretum generale juxta mentem. Mens est, ut ordinarii locorum pro suo munere invigilent, ut denuo non cudantur supradicti liturgici libri, sine attestatione a pontificiis constitutionibus præscripta.* Ergo, nedum sub prætextu consuetudinis contrariæ legitime præscriptæ, possint Ordinarii constitutiones S. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII transgredi, tenentur e contra vi muneris sui in diœcesibus, quas istæ constitutiones attingunt, (in quibus nempe ante Pium V non vigebat liturgia propria ducentis annis antiquior), efficaciter impedire ne imprimantur breviaria aut missalia, quæ præscripto earumdem bullarum non satisfaciant. Et hoc decernitur non tantum quoad talem ecclesiam particularem, sed *decreto generali.*

Die 18 februarii 1843 petitum est : *An liceat uti breviariis, missalibus, aliisque hujus generis sacris libris, qui non præ se ferunt requisitas a pontificiis constitutionibus Ordinariorum attestationes, perinde ac si per præscriptionem in contrarium memoratæ constitutiones censeri de-*

beant non amplius in suo robore permanentes. Respondit sacra Congregatio: *Servetur generale decretum diei* 26 *aprilis* 1834 (Gardellini, n. 4811, t. VIII, p. 393).

Iterum e diœcesi Brixiensi proposita sunt similia dubia, et die 27 februarii 1847 ad præfatum decretum generale remissum est (in authentica Gardelliana collectione, n. 4913).

Ex adductis porro declarationibus sic argui licet: non potest rationabiliter et legitime præsumi Papa consenssise consuetudini, decreta S. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII violanti, eo tempore quo S. Congregatio declaravit, dicta decreta *in suo robore permanere*, non obstantibus plus quam quadragenariis in contrarium consuetudinibus. Dum enim legislator per suum tribunal declarat expresse legem aliquam consuetudinibus contrariis non fuisse abrogatam, absurdum est præsumere eum tacite consentire ut lex illa propter contrarias consuetudines vim non habeat. Dum scilicet ipse legislator silet circa consuetudinem legi alicui contrariam, mens ejus circa hujus consuetudinis legitimitatem interpretari debet ex decisione tribunalis, quod ipse instituit atque sua auctoritate munivit ut legum sensum et robur declaret; et cujus declarationes omnibus esse normam voluit. Ergo ipso die quo sacra Congregatio decernebat legem Pianam contra consuetudines contrarias valere, præsumi non protuit Papæ consensus ut lex Piana hujusmodi consuetudinibus vinceretur. A tempore autem quo sacra Congregatio ita decrevit, supponi ex silentio Papæ non potest accessisse dictum ipsius consensum. Ab illo enim tempore, nondum quadraginta anni effluxere. Unde concludendum tandem est, hodie adhuc S. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII circa breviarium et missale constitutiones *in suo robore permanere*, quæcumque extiterit in contrarium consuetudo. Et prorsus non video quomodo logice hæc conclusio eludi possit.

Neque objicias controverti an declarationes Congregationum Romanarum vim legis habeant. Eas declarationes hic

non invoco tanquam vim legis habentes, sed dumtaxat tanquam testimonium legale de mente legislatoris. Dum Congregatio declarat non valere consuetudinem contra legem, hoc ipso implicite declarat Papam huic consuetudini non consentire; et dum hoc postremum declarat, jam legitime præsumi nequit mens contraria in silente Pontifice.

Neque etiam objicias breve Gregorii XVI, anni 1842, ad Remensem Præsulem, quasi evidenter exprimat, aut saltem supponat, per breviaria Galliæ Piano decreto contraria obligationi horarum canonicarum satisfieri, ac proinde dictum decretum Pianum in illa regione *non permansisse in robore suo*. Breve illud legi et relegi, et ne verbum quidem invenire potui, ex quo id concludi possit. Nullibi dicit Pontifex bullam Pianam in Gallia vim non habere; sed dicit tantum se eam in præsens plenius urgere nolle, eo quod graviora dissidia reformidet: *atque hinc nobis, graviora inde dissidia reformidantibus, abstinendum in præsens visum est... a re plenius urgenda*. Dolet præterea de statu liturgico Galliæ decretis pontificiis opposito; fatetur arduum esse longam illam consuetudinem evellere : at sedulo abstinet ab omni verbo quo innueretur consuetudinem illam contra legem *legitime præscripsisse*. Unde id tantum mihi videtur (salvo doctiorum judicio) ex isto brevi concludi posse : cum nempe multi in Gallia liturgias Piano decreto contrarias pro legitimis bona fide habeant, noluisse Pontificem, ex graviorum dissidiorum metu, legem Pianam per se jam urgentem *plenius urgere*, et maluisse omnes suæ conscientiæ et bonæ fidei *in præsens* relinquere. Cæterum, utrum possit Summus Pontifex per expressam dispositionem supradictas liturgias alicubi legitimas reddere, et an id quoad Galliam aliquando fecerit, extra quæstionem est, et expendetur postea : hic tantum sustinemus solo titulo præscriptæ consuetudinis, legitimitatem ejusmodi liturgiis, contra præscriptum S. Pii V retentis, non accessisse.

Vis autem argumentationis nostræ in eo est, quod legi-

time præsumi nequeat, Papam consuetudini, bullarum S. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII subversivæ, tacite consentire : tum propter declarationes Congregationum, contrariam mentem Summi Pontificis supponentes; tum quia hæc consuetudo prava est, ut dicit Suarez; tum quia permanet ratio quæ impulit ad legem Pianam ferendam; imo hodie multo magis urget illa ratio; ita ut, sicut dicit S. Thomas, non legem consuetudine, sed lege consuetudinem vinci æquum sit.

4° Probatur insuper thesis ex rationibus a Suaresio et Cavaliero adductis : Objectionem præmittit Suarez hoc modo: *Occasio dubitandi est quia potest alicubi non esse recepta* (lex Pii V), *nec moribus introducta, non titulo antiquæ consuetudinis, sed ex negligentia vel resistentia Episcoporum seu Prælatorum; quæ in initio potest esse iniqua, usu tamen et duratione prævalere : cum enim hæc lex humana sit, poterit consuetudine contraria abrogari; ergo non repugnat alicubi ita accidisse : ibi ergo non obligabit hæc lex, retinerique poterit aliud breviarium, licet non excedat ducentorum annorum antiquitatem.* Cui objectioni inter alia respondet : *Dico illam legem non tantum esse præcipientem, sed etiam irritantem omnia alia breviaria quæ infra ducentos annos initium habuere. Quare nulla consuetudine restitui possunt; ac subinde officium illud jam non potest esse canonicum, neque aptum ut per illud obligationi chori satisfiat. Et ex hac parte existimo omnes posteriores consuetudines ita esse per hanc legem reprobatas, ut contra eamdem legem prævalere non possint. Unde fit, si in aliqua provincia similis consuetudo, vel breviarium non ita antiquum ut postulatur in brevi Pii V contra illius dispositionem indebite retineatur, non obligari clericos vel parochos ad illum recitandi modum, sive in choro, sive extra illum, sed potius per se loquendo obligari lege pontificia* (de Religione, t. II, lib. IV, de Horis canonicis, cap. 11, n. 5).

De eadem quæstione alibi disserens sic habet : *Sed quid, si alicubi non esset receptum breviarium Pii V, non quia de se ibi etiam non obligaret, sed ex negligentia prælatorum, qui, licet non uterentur prius breviario antiquiori ducentis annis, novum Romanum introducere et promulgare neglexerunt?... Dixi consuetudinem illam pravam esse, et contra hoc præceptum antiquum breviarium non prævalere. Unde consequenter assero, ubi id accidisset, posse licite omnes clericos privatim recitare juxta Romanum breviarium, quia non possunt obligari ad imitandum ritum iniqua consuetudine retentum et pontificia auctoritate efficaciter abrogatum. Imo assero clericos singulos ad hoc teneri, si commode possint; quia per se obligantur præcepto pontificio, quod non pendet ex Episcopi vel matricis ecclesiæ acceptatione, nec ex nova promulgatione in partibus singulis facta; quia Romæ facta sufficit, cum lex ipsa expresse aliam non requirat, sed contrarium expresse decernat* (loco citato, cap. 23, *n.* 10).

Ad thesim etiam firmandam aptæ videntur sequentes Cavalieri rationes : « Nec dicas consuetudinem 40 annorum « præscribere contra jus ecclesiasticum. Id enim dumtaxat « verum est, quoties consuetudo non est jure reprobata. « Aliam adhibet limitationem divus Thomas (1, 2, q. 97, « art. 3, ad 2), videlicet quod *si adhuc maneat eadem « ratio propter quam lex prima utilis erat, non consue« tudo legem, sed lex consuetudinem vincit.* In nostro « autem casu eadem permanet ratio. Oppones, quod juxta « quamplurimos etsi primi inducentes consuetudinem pec« cent, postquam tamen hæc inducta est, cessat obligatio « legis, licet irritans sit. Verum id dumtaxat procedit quo« ties intervenit scientia et tolerantia principis qui legem « tulit. Hoc ipso enim quod princeps sciens permittit con« suetudinem adversus legem induci (quam si vellet posset « inhibere), tunc lex, licet irritans sit, per tacitum principis « consensum abrogatur. In præsenti autem casu, consuetudo

« utique censeri non potest unquam tacite approbata » (t. II, p. 174, edit. Venet., 1770). Casus de quo ibi loquitur Cavalierus est diversus; at quod dicit, verificatur etiam de consuetudine breviaria a decreto Piano reprobata retinendi. Tali consuetudini, ut ostendimus, legitime præsumi non potest Papa consentire.

5° Confirmatur thesis ex communi doctorum sententia. Eam enim, non Suarez tantum, sed probati communiter doctores tenent, ut constat ex collectis sub primo hujus capitis paragrapho testimoniis.

Propositio 4ª. *Qui, proprium breviarium et missale relinquentes, aliud quam Romanum correctum, contra S. Pii V prohibitionem, sibi assumpsere, peccaverunt; et eorum sic inducta liturgia, minime evasit per consuetudinem legitima.* — In præcedenti propositione discussimus casum quo aliqua ecclesia breviarii et missalis sui formulam, licet 200 annis non antiquiorem, retinuisset. Hic vero supponimus ecclesiam breviarium et missale suum relinquentem. Et quidem, si dictum breviarium et missale non erat 200 annis antiquius, *debuit* superveniente Piano decreto illud relinquere : si vero 200 annis antiquius, non debuit, sed *potuit* illud relinquere. At in utroque casu, ei non licuit ad aliud quam ad Romanum correctum migrare, quia ita expresse sancivit S. Pius V. Si ergo, suum derelinquendo, diversum a Romano correcto sibi assumpsit, id sine peccato gravi, per se loquendo et seclusa bona fide, fieri non potuit. Lex enim Piana, ut supra probatum est, omnes hujusmodi latinas ecclesias attingebat, et quidem sub gravi ob manifestam materiæ gravitatem, et sub pœna horarum canonicarum obligationi non satisfaciendi, imo sub gravissimis aliis pœnis supra expositis.

At posito quod sic plusquam per 40 annos perseveraverit, an ipsius breviarium et missale dicto modo indebite inductum, legitimum evasisse censendum erit? Negative respondendum esse probant rationes omnes in præcedenti thesi

adductæ. Consuetudo enim illa legitime præscribere nequivit absque tacito Summi Pontificis consensu. Si autem consensus ille, ob dictas rationes, legitime præsumi non potest quoad ecclesiam in qua retinetur liturgia jam vigens, sed ducentorum annorum antiquitate minor, a fortiori præsumi non debet quoad ecclesiam quæ suum breviarium et missale relinquens, ad aliud ipsi expresse vetitum migrat. Potius enim censenda foret sedes Apostolica indulgere, ut jam vigens ritus, licet non adeo antiquus, conservaretur.

Notandum autem est multo magis vituperandam fore migrationem ad liturgiam omnino novam, ita ut quoad substantiam diversa esset ab omni liturgia in ecclesiis antea vigente et probata; quia, secluso etiam Piano decreto, id vetitum foret, ut alio loco ostendimus.

Præter adductas rationes, thesim certam omnino facit, nuperrima sacræ Congregationis rituum declaratio, diei 10 juanuarii 1852. Exponebat reverendus canonicus Lottin, in ecclesia Cenomanensi, quæ propria liturgia legitime utebatur, anno 1748 conflatum atque inductum fuisse novum breviarium novumque missale, a priori Cenomanensi substantialiter diversum; postulabatque ab eminentissimis Patribus declarari: *Utrum saltem hujusmodi liturgia vi præscriptionis, seu consuetudinis sæcularis, facta sit legitima, ita ut hodie quilibet sacerdos Cenomanensis possit eam tuta conscientia servare?* Sacra autem Congregatio respondit *negative*. Responsio autem illa, licet pro casu particulari ecclesiæ Cenomanensis facta, attingit omnes ecclesias quæ in simili casu versantur, ac proinde, ut patet, omnes ecclesias de quibus in præsenti thesi agimus. Unde concludendum videtur, breviaria et missalia sic illegitime introducta, nonobstante quantumvis longa consuetudine, illegitima remansisse; ac proinde eos qui illis utuntur obligationi horarum canonicarum non satisfacere, nec suos facere beneficiorum fructus. Quod patet præterea ex alio dubio, a supradicto canonico Lottin proposito: postulavit

nempe declarari insuper : *An quilibet sacerdos Cenomanensis, etiam canonicus et parochus, statim teneatur in conscientia, tum et horas canonicas persolvere missamque celebrare juxta ritum Romanum, quando scilicet privatim recitat et celebrat, tum et insuper omnibus quibus potest modis reverendissimo Episcopo supplicare, quatenus et idipsum pro divino officio publico opportunis mediis et temporibus promovere dignetur?* Cui postulato ita sacra rituum Congregatio respondit : *Consulat conjunctim utramque constitutionem sancti Pii V, videlicet illam quæ incipit* QUOD A NOBIS, 7 *idus julii* 1568, *et aliam quæ incipit* EX PROXIMO, 12 *calendas octobris* 1751. Porro in bulla *Quod a nobis* reperitur ita suppressa fuisse breviaria quælibet, ducentis annis bullam ipsam non antecedentia, ut per ipsa obligationi recitandi officii satisfieri nequeat. Et in bulla *Ex proximo*, statuitur eos qui horas canonicas recitare omittunt, fructus beneficiorum suorum amittere pro rata omissionum in divini officii recitatione. Unde per talem responsionem aperte declaratur sacerdotes Cenomanensis ecclesiæ teneri statim recitare breviarium Romanum, sub pœna non satisfaciendi horarum canonicarum debito, et non faciendi fructus suos. Quod idem pro omnibus ecclesiis in simili casu versantibus concludendum venit.

Propositio 5ª. *Qui jam introductam Pianam liturgiam reliquere, peccaverunt; ei vero substitutum breviarium et missale, quodcumque sit, ex consuetudine legitimum non evasit.* — Sequitur ex rationibus in duabus præcedentibus propositionibus expositis, quas iterum evolvere supervacaneum est. Dicimus *quodcumque sit;* quia sive ad breviarium et missale, etiam ducentis annis antiquius, quod ante assumptum Pianum habebant, redeant; sive aliud sibi conficiant aut aliunde accipiant; decretum S. Pii V transgrediuntur. Cui transgressioni, etiam ultra quadragenariæ, tacite consentire Summum Pontificem legitime præsumi non potest, ob rationes jam expositas.

Ex quinque præmissis propositionibus generaliter concludere licet, ecclesias quæ (cum tenerentur breviarium et missale Pianum amplecti), non paruerunt, adhuc hodie remanere sub obligatione ad breviarium et missale Romanum correctum migrandi; nisi forte aliquibus sedes Apostolica *expresse* indulserit, ut in assumpta alia liturgia remaneant. *Expresse*, inquam; quia ex *taciti* tantum consensus suppositione, id eis non licere probatum est.

NOTA. — *Circa hymnos Urbani VIII jussu correctos.* — Cum præsentis capitis scopus sit ut determinetur jus commune hodiernum circa breviarium et missale apud latinas ecclesias, silere non debemus hymnorum correctionem ab Urbano VIII promulgatam et sub præcepto observandam. Præfatus scilicet Pontifex in bulla *Cum alias* 27 aprilis 1643 (Bull. Rom., t. VI, parte II, pag. 280) stricte obligatoriam facit hymnorum ipsius jussu correctorum formulam : « De Apostolicæ potestatis plenitudine... « in omnibus et singulis patriarchalibus, primatialibus, me« tropolitanis, cathedralibus, collegiatis, parochialibus, cæ« terisque tam sæcularibus quam cujusvis ordinis... eccle« siis, prædicti hymni... non autem amplius antiqui... « recitentur ac decantentur... præcipimus et mandamus. « Volentes ut præceptum nostrum hujusmodi in Urbe et « ejus districtu infra duos, in aliis vero locis citra montes « infra octo, ultra montes autem infra duodecim menses « respective omnino executioni demandetur. » Injungit postea Ordinariis dictus Pontifex ut omnia in suo decreto contenta *faciant ad unguem inviolabiliter observari.*

Illud Urbani VIII præceptum iteratum est in bulla *Cum alias*, 22 aprilis 1644, quando correctos hymnos simul cum notato cantu publicavit. Ex cujus decreti tenore præceptum in hymnorum tantum, non vero etiam in cantus notati formam, cadere videtur.

Illa vero Urbani VIII dispositio non attingit ecclesias quæ proprium breviarium, ducentis annis bullam Pianam

antecedens, retinuerunt; sed tantum cæteras quæ breviario S. Pii V adstringuntur.

In quæstionem vocari posset, utrum satius fuerit veteres hymnos nova illa forma donari. Est quidem legibus metricis, apud sinceræ latinitatis auctores receptis, magis consentanea. At suum fecit Ecclesia, multorum sæculorum usu venerandum, latini sermonis in rebus sacris peculiarem stylum; cui sua certe venustas, et in catholicæ fidei et pietatis exprimendis sensibus mira idoneitas. At tempore Urbani VIII viri litterati, paganorum tempore vigentis latinitatis, nimia admiratione capti, aurea ecclesiasticæ litteraturæ monumenta forte non satis perspexerunt. Quidquid autem sit de hac quæstione, certa est Urbani VIII lex; et quandiu a sede Apostolica moderata non fuerit, ab omnibus observanda.

CAPUT III.

JUS LITURGICUM QUOAD OFFICIUM B. VIRGINIS, MARTYROLOGIUM, PONTIFICALE, CÆREMONIALE EPISCOPORUM, ET RITUALE.

Dum in præcedenti capite jus liturgicum ecclesiarum latinarum expenderemus, potuit lector advertere quæstionem ad breviarium et missale dumtaxat fuisse restrictam. Id non inconsulto fecimus. Leges enim quæ de præcipua illa atque fundamentali rei liturgicæ parte decernunt, aliæ alias, ut vidimus, ecclesiarum classes sive categorias attingunt atque obligant. Decretis vero cæteras liturgiæ formulas ordinantibus, non omnino juxta easdem distinctiones et categorias Ecclesiæ adstringuntur. Unde pro faciliori et clariori juris liturgici expositione, posteriores has leges, ab iis quæ de missali et breviario statutæ sunt, secernendas et separatim tractandas duximus.

§ I.

Jus liturgicum quoad officium B. Mariæ Virginis.

Jus illud determinatum fuit a S. Pio V in bulla *Superni* (Bull. Rom., t. IV, parte III, pag. 153), quæ sic decernit : « Cum itaque in executionem decretorum sacri concilii « Tridentini, gratia divina assistente, catechismo ad populi « eruditionem edito, breviario... reformato, atque missali... « ad pristinam sanctorum Patrum normam restituto, eam- « dem curam et operam adhiberi mandaverimus in emen- « dando ac corrigendo gloriosissimæ Dei genitricis B. Mariæ « Virginis officio...; motu proprio et ex certa scientia, ac « de Apostolicæ potestatis plenitudine, officia quæcumque, « inprimis italico, seu quovis alio vulgari idiomate et ser- « mone quomodolibet composita..., denique omnia et sin- « gula alia officia hujusmodi, etiam latino sermone... per- « vulgata, ab omnibus... qui ad recitationem officii B. Ma- « riæ tenentur et obligati sunt, tollimus et abolemus... : « illis tamen officiis exceptis (dummodo vulgari sermone, « ut præfertur, non sint composita) quæ ab ipsa prima « eorum institutione a sede Apostolica expresse approbata « fuerunt, vel quorum officiorum certum usum consuetu- « dine, aut ipsa institutione, supra tamen ducentos annos, « assidue observatum fuisse constiterit.

« Ab iis vero qui ad ejusdem officii B. Mariæ Virginis « recitationem non aliqua obligatione tenentur, omnem « eorumdem officiorum vulgari sermone quomodolibet « compositorum, atque similis idiomatis vulgaris oratio- « num, etiam aliis officiis latini sermonis insertarum, usum « penitus etiam auferimus.

« Illos nihilominus (ne erroribus quibus alia fere omnia « latino sermone referta esse deprehensum fuit), in Domino « hortantes ut ab aliorum B. Mariæ quam hujus nostri « officii lectione ac usu abstineant...

« Statuentes huic nostro officio nuper edito, nihil ullo « unquam tempore per quemcumque quavis auctoritate « fungentem quovis prætextu addi, detrahi vel immu- « tari debere. Ac omnes et singulos qui ipsum B. Mariæ « officium dicere... tenentur, ex hujus nostri Romani « officii præscripto et ratione, ad id omnino obligatos « esse, et neminem muneri suo nisi hac forma satisfacere « posse... Non obstantibus in quibusvis synodalibus, pro- « vincialibus vel universalibus conciliis editis constitutio- « nibus... »

Quid juris ex tenore hujus constitutionis oriatur per partes nunc expendendum est.

1° Omnibus sine exceptione fidelibus interdicitur cujuscumque officii B. Virginis, vulgari lingua conscripti, usus. Et sub ea prohibitione comprehenduntur etiam B. Virginis officia latine scripta, quibus orationes in linguam vulgarem translatæ insertæ fuissent.

Hac dispositione sub gravi obligatas fuisse omnes ecclesias indubium est, cum præceptum sit expressum, universale et de materia gravi. Nullam autem consuetudinem contra legem hanc legitime præscripsisse, probant rationes superius allatæ, ubi eadem quæstio circa breviarium discussa est. Ad legitimam scilicet præscriptionem accedere debuisset tacitus saltem sedis Apostolicæ consensus : ille autem consensus legitime præsumi nequit, cum infra proxime elapsos quadraginta annos S. rituum Congregatio declaraverit S. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII constitutiones circa libros liturgicos, ac proinde etiam bullam *Superni, in suo robore permanere.* Atque insuper legitime præsumi nequit Summus Pontifex consentire tali consuetudini, dum constat librorum liturgicorum in linguam vulgarem translationem tanquam noxium et periculosum abusum a sede Apostolica constanter fuisse inhibitam.

2° Quoad eos qui recitationi officii B. Virginis adstringuntur, et sunt in ecclesia quæ hujusmodi officium latinum

annis ducentis antiquius habebat, Pius V permittit dicti officii huic ecclesiæ proprii usum.

3° Ii vero qui dictæ recitationi adstringuntur, et officium B. Virginis ducentis annis antiquius non habent, jubentur formula a S. Pio V publicata uti, et ipsis omnis alia formula interdicitur.

4° Qui sic ad Pianum B. Virginis officium adstringuntur, prohibentur huic formulæ vel minimam unquam introducere immutationem.

Unde, quoad eos qui ad recitationem dicti officii tenentur, idem decernit Pius V ac circa breviarium. Ac proinde quæstiones de potestate Ordinariorum circa officium B. Virginis eodem modo solvendæ sunt ac circa breviaria. Officium scilicet B. Virginis ducentis annis antiquius potuit retineri; et in eo correctiones et immutationes, salva substantia, possunt absque auctoritate Apostolica fieri. Si autem semel derelictum pro Piano fuerit, non potest iterum assumi, sed jam ibi Pianum obligat. Cætera de breviariis dicta facile lector applicabit.

5° Quoad eos qui recitando B. Virginis officio non adstringuntur, non prohibetur ulla hujusmodi officii formula, modo latina sit. Eos tamen vehementer hortatur dictus Pontifex ut sola formula a se correcta utantur.

§ II.

Jus liturgicum quoad martyrologium.

Vidimus supra, non omnes latinas ecclesias ad Romanum correctum breviarium et missale adstringi, eo quod ab ea lege exemptæ fuerint ecclesiæ, quæ ducentis annis ante S. Pium V propria breviarii et missalis formula utebantur. At non idem currit jus quoad Martyrologium Romanum. Omnes enim absque exceptione latinæ ecclesiæ ad illud usurpandum tenentur; quod nunc probandum venit.

Propositio 1ª. *Omnes latinæ ecclesiæ, etiam illæ quæ proprio breviario et missali legitime utuntur, ita Romano martyrologio adstringuntur, ut illud solum adhibere debeant, nulla re addita, mutata aut adempta.* — Probatur ex tenore constitutionis, *emendato*, qua Gregorius XIII martyrologium illud obligatorium fecit : *Mandamus igitur omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, abbatibus, cæterisque ecclesiis, monasteriis, conventibus, ordinibus sive sæcularibus sive regularibus quibuscumque præfectis, ut in peragendo divino in choro officio, omni alio martyrologio amoto, hoc tantum nostro utantur, nulla re addita, mutata, adempta. Si quos alios habuerint sanctos in suis ecclesiis aut locis celebrari solitos, eos in hunc librum ne inserant, sed separatim descriptos habeant, eumque illis locum atque ordinem tribuant, qui regulis hic descriptis traditur... Datum Romæ... die* 14 *januarii* 1584.

Facile patet legem esse universalem; concipitur enim terminis generalibus, *mandamus, omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis ete.*; nec ulla ullibi exprimitur aut innuitur exceptio. Restringitur tantummodo lex ad usum martyrologii in choro dum divinum officium peragitur. Cæteroquin, quoad usum martyrologii in choro, nulla ecclesia ab adhibenda Romana formula eximitur.

Confirmatur ex recenti sacræ Congregationis rituum declaratione. Inter alia dubia proposuerat Reverendus Lottin Cenomanensis cathedralis canonicus : *Etiamsi ecclesia Cenomanensis sibi de breviario et missali iterum atque iterum, ut libuerit, providere queat, an istiusmodi facultas extendenda sit ad pontificale, cæremoniale Episcoporum, martyrologium et rituale Romanum; ita videlicet ut præceptivas prædictorum librorum regulas, tolerante nempe aut permittente aut etiam aliter quidpiam statuente reverendissimo Episcopo, canonici aliive sacerdotes possint illæsa conscientia infringere aut omittere, sicque reverendissimi Episcopi voluntas his in casibus sit pro*

ipsis sufficiens dispensatio? Sacra autem Congregatio, die 10 januarii 1852, respondendum censuit, *negative, et amplius* (1).

Unde, etiam si liceret alicui ecclesiæ breviarium suum et missale pro arbitrio mutare (quod certum est minime esse licitum), non tamen alio martyrologio, pontificali, cæremoniali et rituali, quam Romano, uti legitime posset, aut regulas istorum romanorum librorum mutare et infringere.

Propositio 2ª. *In novis imprimendis martyrologiis inseri tantum debent sancti ab ultima editione canonizati, non autem ii sancti qui beati solummodo declarati sunt.* — Id ita expresse sancitum est a sacra rituum Congregatione, decreto generali, hoc modo : « Cum bonæ memoriæ car« dinalis Bellarminus in Congregatione sacrorum rituum « habita, die 30 julii 1616, proposuerit : nonnullos im« pressores librorum cupere de novo martyrologium ro« manum imprimere, et in eodem addere sanctos illos et « beatos, qui post ultimam editionem seu impressionem « dicti martyrologii fuerunt canonizati seu declarati beati : « Et eadem sacra Congregatio declaraverit juxta mentem « et ordinationem sanctissimi domini nostri Papæ, *in mar« tyrologio Romano de novo imprimendo addendos esse « sanctos illos tantum, qui fuerunt canonizati, non au« tem qui declarati fuerint Beati post ultimam impres« sionem dicti martyrologii.* Nunc vero iterum eadem sa« cra rituum Congregatio jussit : *ut servetur in posterum « prædictum decretum, de non apponendis in martyro« logio Romano, nisi sanctis canonizatis.* Et ita decrevit « et servari mandavit, die 31 Augusti 1680. » (Apud Gardellini, nº 2778.)

Notandum est martyrologium Romanum a Benedicto XIV fuisse correctum, et cum forma ab ipso determinata præ-

(1) Jam monuimus quid significet in stylo congregationum Romanarum ista formula *et amplius* : id est, *et amplius eadem causa non proponatur.*

19

scriptum; ita ut jam non liceat antiquioribus romanis martyrologiis in choro uti; sed debeant adhiberi exemplaria correctæ Benedicti XIV editioni conformia.

§ III.

Jus liturgicum quoad pontificale.

Facile determinatur jus illud ex sequentibus documentis: sic Clemens VIII, in bulla *Ex quo*: « Ut autem ipsius operis « labor finem eum ob quem est susceptus sortiatur, atque « posthac in omnibus et singulis ecclesiis uno eodemque « modo cæremoniæ et ritus pontificales observentur, motu « proprio et ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis « plenitudine, omnia et singula pontificalia in hunc usque « diem in quibuscumque terrarum orbis partibus impressa « et approbata... supprimimus et abolemus, eorumque usum « in posterum universis ecclesiis, monasteriis, conventibus, « militiis, ordinibus et locis, atque etiam omnibus Patriarchis, « Archiepiscopis, Episcopis, abbatibus, et aliis ecclesiarum « prælatis, cæterisque omnibus et singulis personis eccle- « siasticis sæcularibus et regularibus utriusque sexus inter- « dicimus et prohibemus; et hoc nostrum pontificale sic res- « titutum et reformatum in omnibus universi terrarum orbis « ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis etiam exemptis, « si quæ sunt, recipi et observari præcipimus. Statuentes « pontificale prædictum nullo unquam tempore in toto vel « in parte mutandum, vel ei aliquid addendum aut omni- « nò detrahendum esse; ac quascumque personas quæ ponti- « ficalia munera exercere, vel alias quæ in dicto pontifi- « cali continentur facere aut exequi debent, ad ea peragenda « et præstanda, ex hujus pontificalis præscripto et ratione « teneri; neminemque ex iis quibus ea exercendi et fa- « ciendi munus impositum est, nisi formulis, quæ hoc ipso « pontificali continentur, servatis satisfacere posse. »

Urbanus VIII in sua bulla *Quamvis alias*, correctam pontificalis editionem publicans, non tantum eodem modo ac Clemens VIII ad eam omnes ecclesias adstringit, sed insuper decernit non posse imprimi pontificalia nisi de licentia Inquisitorum aut Ordinariorum; eam vero licentiam concedi non posse nisi postquam collatione facta certo constiterit de perfecta cum Romana editione conformitate; idque sub pœnis gravissimis, nempe :

« Quod si quis quacumque forma, contra præscriptum hoc « pontificale Romanum, aut typographus impresserit, aut « bibliopola vendiderit, extra ditionem nostram ecclesiasti« cam excommunicationis latæ sententiæ pœnæ subjaceant... « Inquisitores vero, locorumque Ordinarii facultatem hu« jusmodi non prius concedant, quam pontificale, tam ante, « quam post impressionem, cum hoc ipso exemplari dili« genter contulerint, et nihil in iis additum, detractum« que cognoverint. In ipsa autem facultate, cujus exem« plum in fine aut initio cujuscumque pontificalis impres« sum semper addatur, mentionem manu propria faciant « absolutæ hujusmodi collationis repertæque conformatio« nis...; sub pœna inquisitoribus privationis suorum offi« ciorum...; Ordinariis vero locorum, suspensionis a divinis « ac interdicti ab ingressu ecclesiæ : eorum verp vicariis, « privationis officiorum et beneficiorum suorum, necnon « excommunicationis absque alia declaratione incurrendæ. »

Ergo sicut quoad martyrologium, ita quoad pontificale Romanum lex universalis est, omnes absque exceptione latinas ecclesias attingens. Quod pariter confirmat declaratio sacræ Congregationis rituum diei 10 januarii 1852, ad Reverendum canonicum Lottin directa, et sub præcedenti paragrapho relata. Unde pontificalis quilibet liber a Romano diversus, quem sibi aliqua ecclesia conflaret, pro illigitimo prorsus et sub pœnis prohibito esset habendus.

. . . .

§ IV.

Jus liturgicum quoad librum qui vocatur cæremoniale Episcoporum.

« Licet priscis sæculis libri cæremoniales atque liturgici « in Ecclesia extiterint ad sacra rite peragenda, Clemens « tamen VIII primus omnium dici potest, qui opera doctis- « simorum virorum Cæremoniale Episcoporum pro universa « Ecclesia ordinavit, anno 1600. Correctum deinde fuit ab « Innocentio Papa X : novissime a sanctæ memoriæ Bene- « dicto XIII, sacrorum rituum peritissimo, ut constat ex ejus « constitutione edita anno 1727.» (Catalanus in præfatione commentarii in Cæremoniale Rom. n. 21.)

Duo expendenda veniunt circa prædictum *Cæremoniale Episcoporum*, a sede Apostolica publicatum : 1° Utrum vim legis universalis habeat; 2° utrum deroget etiam immemorabilibus in contrarium consuetudinibus.

Propositio 1ª. *Liber cæremonialis Episcoporum, a sede Apostolica publicatus, obligatorius est quoad omnes latinas ecclesias.* — Probatur 1° ex constitutionibus Summorum Pontificum — Sic habet Clemens VIII in bulla *Cum novissime :* « Idcirco cæremoniale Episcoporum hujusmodi, « jussu nostro emendatum et reformatum motu proprio et ex « certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine per- « petuo approbantes, illudque in universali Ecclesia ab om- « nibus et singulis personis ad quas spectat et in futurum « spectabit perpetuo observandum esse præcipimus et man- « damus; ac Cæremoniale hujusmodi sic emendatum et « reformatum nullo unquam tempore in toto vel in parte « mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse; « ac quascumque personas prædictas quæ sacerdotalia munera « exercere aut alia quæcumque in ipso Cæremoniali con- « tenta facere aut exequi debent, ad ea peragenda et præ- « standa juxta hujus Cæremonialis formam et præscriptum

« teneri ; neminemque ex iis quibus ea exercendi et faciendi « munus impositum existit, nisi formulis quæ hoc Cæremo« niali continentur servatis satisfacere posse, perpetuo sta« tuimus et ordinamus.... Nonobstantibus constitutionibus « et ordinationibus apostolicis, ac etiam in provincialibus et « synodalibus conciliis editis.»

Pariter Innocentius X, in bulla *Etsi alias*, postquam omnibus pariter sine exceptione et iisdem fere terminis obligatorium fecit Cæremoniale Romanum, prohibens quidquam in eo immutari, et aliam formulam adhiberi, sic addit : « Nonobstantibus...etiam in universalibus, provincialibusque « et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus « constitutionibus et ordinationibus; necnon quarumvis ec« clesiarum statutis, consuetudinibus, privilegiis. »

Benedictus tandem XIII novam correctam ejusdem Cæremonialis editionem publicavit, eique ecclesias omnes (nulla memorata exceptione) adstrictas fore, eisdem terminis ac Innocentius X sancivit.

Porro ex illarum constitutionum tenore, aperte constat universalem esse legem, qua præscribitur dicti Cæremonialis libri usus, ita ut ne illæ etiam excipiantur ecclesiæ quæ proprio breviario et missali legitime utuntur. Concludendum insuper non valere ullas in contrarium consuetudines, exceptis solis *immemorabilibus*. Consuetudines enim contrarias generatim tollunt et proscribunt præfatæ constitutiones. Cum tamen de immemorabilibus expressam mentionem non faciant, et praxi immemorabili, nisi id specialiter exprimatur, derogatio non fiat, consuetudines hujusmodi immemorabiles et cæteroquin laudabiles, licet dicto Cæremoniali contrariæ, censeri possunt, attento pontificalium decretorum textu, præservatæ; et revera præservatas fuisse, in sequenti propositione ostendemus.

Probatur 2° ex doctorum communi sententia. — Rem sic exponit Catalanus, in præfatione commentarii sui in Cæremoniale Episcoporum : « Habet enim Cæremoniale, tanquam

« solemniter approbatum a tribus Pontificibus, Clemente « VIII, Innocentio X, et novissime a Benedicto XIII, vim « legis, et tanquam tale ab omnibus præcise observandum « est, ex deductis per Gratianum (discept. 298, n. 18), car- « dinalem de Luca (de jurisdictione, discursu 31 n. 5), et « Ursagam (tom. V, parte II, discept. 13, § I, n. 25 et 26— « itemque tom. IX, parte I, discept. 27, n. 6), ubi varias « sacræ Romanæ Rotæ decisiones citant, quibus Cæremoniale « ipsum vim legis habere edicitur. Id quod etiam iterum « atque iterum S. rituum Congregatio declaravit, uti videre « est apud Barbosam in summa Apostolicarum decisionum « collectan. 78, ubi inter alia recenset ejusdem Congrega- « tionis decretum in Salernitana, die 16 julii anni 1605, in « quo habetur, cæremonialem librum Episcoporum *ad un-* « *guem* servandum esse in omnibus ecclesiis, præcipue vero « in terris Ecclesiæ, *nisi adsit laudabilis immemorialis* « *consuetudo in contrarium.*» Adnotator octavi voluminis Gardellianæ collectionis sic habet in nota ad numerum 4523 (tom. VIII, pag. 126) : « Cæremoniale Episcoporum in uni- « versali Ecclesia, ab omnibus et singulis personis ad quas « spectat, observandum esse præcipitur a felicis recorda- « tionis Clemente Papa VIII in litteris Apostolicis sub « plumbo quæ incipiunt : *Cum novissime*, in quibus « statuitur, *Cæremoniale hujusmodi sic emendatum et re-* « *formatum, nullo unquam tempore in toto vel in parte* « *mutari, vel ei aliquid addi aut omnino detrahi posse, ac* « *quascumque personas prædictas... ad ea peragenda et* « *præstanda juxta hujus Cæremonialis formam et præ-* « *scriptum teneri.* Item Innocentius X, bulla *Etsi alias*, « ipsum Cæremoniale adprobando et confirmando eadem « statuit ac præcepit. Et hæc quidem Benedictus XIII, bulla « cujus initium est *Licet alias*, pariter habet. Additum au- « tem in ea est, ut in virtute sanctæ obedientiæ nihil de- « trahatur, nihil addatur, immutetur nihil. Summi itaque « Pontifices toti in eo sunt, ut quæ in Cæremoniali (idem

« dicatur de pontificali, missali et rituali) sunt constituta, « accuratissime serventur... His positis, quidquid diverso « modo quo statutum est peragitur, contra cæremoniale « peragitur, et nulla unquam consuetudo (si eas excipias « quæ, ut legitimæ, ab Ecclesia ipsa sunt adprobatæ) contra « illius legem potest præscribere. »

Idem annotator, ut probet consuetudines contra Cæremoniale Episcoporum præscribere non posse, sic ratiocinium instituit : « Aut enim consuetudo est ante Cæremonialis « confirmationem et adprobationem Summorum Pontificum, « aut postea : Si ante, jam consuetudines istæ, si peculiari « modo non sint adprobatæ, per genericam abrogationem « abrogatæ censendæ sunt : si postea inductæ sunt, jam eo « ipso contra Cæremonialis statuta ejusque leges sunt indu- « ctæ, et inobedientiam Ecclesiæ legibus redolent, et novitatis « notam merentur, propriæque commoditatis amorem præ « se ferunt, ideoque reprobandæ sunt ac rejiciendæ, utpote « Cæremoniali adversæ » (loco modo citato).

Supervacaneum esset plures citare in hunc sensum auctores; cum enim sacra rituum Congregatio, ut modo videbimus, declaraverit Cæremoniale Episcoporum vim legis universalis habere, non reperiri putamus ullum probatæ doctrinæ scriptorem, qui, post tales declarationes, contradicere ausus sit.

Probatur 3° ex declarationibus sacræ Congregationis rituum. — « Capitulum et canonici ecclesiæ Salernitanæ sa- « cræ rituum Congregationi exponi fecerunt, eos habere in « eorum ecclesia nonnullas particulares et antiquas cæremo- « nias, a Pio IV felicis recordationis approbatas, quæ libro « cæremoniali Episcoporum noviter impresso non sunt con- « formes; et ideo ab eadem sacra rituum Congregatione « declarari petierunt, eos non esse obligatos ad observatio- « nem dicti libri cæremonialis. Quæ quidem sacra rituum « Congregatio respondit : *Omnes ecclesias metropoli-* « *tanas, cathedrales et collegiatas, dictum librum cæ-*

« *remonialem in omnibus ad unguem servare debere,* « *præterquam in illis quæ de antiqua immemorabili ac* « *laudabili consuetudine, alio vel diverso modo ab eo* « *quo in Cæremoniali præscribitur, observantur* : et ita « censuit et declaravit, die 16 julii 1605. » (Apud Gardellini, n° 124.)

Ad dubium : « An pro eximendis dictis canonicis ab « observantia præscriptorum in eodem Cæremoniali, sufficiat « dicere, quod id non sit receptum in Hispaniis? — S. ri« tuum Congregatio respondit : *non sufficere.*» (Apud Gardellini, n° 3012, ad 4.)

Propositio 2ª. *Per prædictum librum cæremonialem non tolluntur laudabiles contrariæ consuetudines, modo sint immemorabiles.* — 1° Sequitur ex tenore decretorum pontificiorum in quibus expressa mentio non fit de non abrogatis contrariis consuetudinibus immemorabilibus; unde, juxta receptam regulam juris, præservatæ censeri debent hujusmodi consuetudines, donec aliter declaretur. — 2° Id multoties expresse declaravit Sacra rituum Congregatio. Jam in præcedenti propositione citavimus declarationem diei 16 julii 1605, in qua expresse præservantur prædictæ immemorabiles consuetudines. Cui decisioni sequentes adjungimus : « Quia in ecclesiis regnorum Hispaniæ, ex anti« qua et immemorabili consuetudine, multa diverso modo « fiunt ab eo quod in Cæremoniali Episcoporum declaratur et « ordinatur, partim ex apostolica concessione, partim ex « ministrorum varietate, partim etiam ex diversa ecclesia« rum, altarium et chori situatione : Ideo ad instantiam et « pro parte omnium ecclesiarum in Hispaniæ regnis, S. ri« tuum Congregationi supplicatum fuit declarari, librum « prædictum Cæremonialem Episcoporum nuper editum non « tollere immemorabiles ecclesiarum consuetudines. — « Eadem S. rituum Congregatio, ut alias sæpe ad instan« tiam particularium, ita nunc ad instantiam omnium eccle« siarum in Hispaniæ regnis : *Dictum librum Cæremonialem*

« *immemorabiles et laudabiles consuetudines non tollere,* « *declaravit,* die 11 junii 1605. » (Apud Gardellini, n° 120.)

« Pro parte capituli ecclesiæ Elboracensis petitum fuit : « an decretum emanatum ad instantiam omnium ecclesiarum « in Hispaniæ regnis, quod scilicet liber Cæremonialis Episco- « porum non tollat laudabiles et immemorabiles consuetu- « dines, habeat locum etiam in regno Portugalliæ? — S. « rituum Congregatio, *dictum decretum locum habere, non* « *solum in regnis Hispaniæ et Portugalliæ, sed etiam in* « *quibuscumque aliis regnis et locis per totum christia-* « *num orbem,* declaravit die 17 junii 1606. » (Apud Gardellini, n° 171.)

Ibidem, in declaratione sub numero 235 posita, legitur: *Cum liber Cæremonialis hujusmodi immemorabiles consuetudines non tollat.* Sub numero 332 ejusdem Gardellianæ collectionis, videtur iterum præservata consuetudo immemorabilis contra Cæremoniale.

3°. Communem vero doctorum sententiam, de non sublatis per Cæremonialem consuetudinibus immemorabilibus, testatur Catalanus his verbis. : « Laudabiles atque « probatas ecclesiarum consuetudines, antiquas scilicet et « immemorabiles, a nostro Cæremoniali non tolli, ex complu- « ribus memoratæ sacræ rituum Congregationis decretis, « doctores omnes uno ore affirmant, innuitque non uno in « loco novum hoc nostrum Cæremoniale, ubi jam varia « cæremoniarum capita consuetudini ecclesiarum relinquun- « tur; et licet Summus Pontifex in nova sua constitutione « pro observatione Cæremonialis Episcoporum ab eodem « emendati, inter alia consuetudines Cæremoniali ipsi con- « trarias damnet, intelligendum puto eum locum de con- « suetudinibus quæ sunt irrationabiles, non vero de lauda- « bilibus ac probatis, quas servari nos Romæ vidimus, vel « dum ipse zelantissimus Pontifex viveret. » (Catalanus in præfatione sui commentarii in Cæremoniale Episc.) Ultima vero citati auctoris verba de consuetudinibus *immemora-*

bilibus dumtaxat intelligenda sunt : alioquin in errorem inducerent.

§ V.

Jus liturgicum quoad rituale (1).

Vidimus in superioribus paragraphis, facile demonstrari latinas omnes ecclesias ad martyrologium, pontificale et cæremoniale romanum adstrictas esse. Utrum autem ad rituale etiam Romanum adstringantur, non ita primo intuitu perspici potest, nec defuerunt qui id negari posse putarent. Discutienda ergo est diligenter quæstio; quam ideo hoc ordine expendemus : 1° afferemus textus præcipue attendendos, ut dignosci valeat utrum rituale Romanum obligatorium sit necne. 2° Tanquam certum concludemus licitum saltem cuilibet esse in ministrandis sacramentis rituali Romano uti. 3° Afferemus rationes quæ suadere videntur obligatorium non esse illud rituale, et posse quamlibet ecclesiam aliud sibi proprium adhibere. 4° Probabimus non valere prædictas rationes, et rituale Romanum strictam vim legis, omnes latinas ecclesias obligantis, habere.

PUNCTUM I.

Textus præcipue attendendi ut dignosci valeat, utrum rituale Romanum obligatorium sit necne.

Breve Pauli V rituale Romanum publicantis sic habet : « Restabat ut uno etiam volumine comprehensi sacri et sin- « ceri Ecclesiæ catholicæ ritus, qui in sacramentorum ad- « ministratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari

(1) Rituale Romanum jussu Pauli V conscriptum fuit; in quo perficiendo opere, præcipuas partes habuit eruditus Gabbutius, ordinis clericorum regularium sancti Pauli (vulgo Barnabitarum). Cujus manuscriptus codex hodiedum asservatur Romæ apud religiosos ejusdem ordinis, in collegio sancti Caroli ad Cathinarios.

« debent ab iis qui curam animarum gerunt, Apostolicæ « sedis auctoritate prodirent; ad cujus voluminis præscri- « ptum, in tanta ritualium multitudine, sua illi ministeria, « tanquam ad publicam et obsignatam normam peragerent, « unoque ac fideli ductu inoffenso pede ambularent cum « consensu... Quapropter hortamur in Domino venera- « biles fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et « dilectos filios eorum vicarios, nec non abbates, parochos « universos, ubique locorum existentes, et alios ad quos « spectat, ut in posterum tanquam Ecclesiæ Romanæ filii, « ejusdem Ecclesiæ omnium matris et magistræ auctoritate « constituto rituali in sacris functionibus utantur; et in re « tanti momenti, quæ catholica Ecclesia, et ab ea probatus « usus antiquitatis statuit, inviolate observent. »

Initio autem ipsius Romani ritualis sic legere est : « Ut « ea quæ, ex antiquis catholicæ Ecclesiæ institutis, et sa- « crorum canonum, Summorumque Pontificum decretis de « sacramentorum ritibus ac cæremoniis hoc libro præscri- « buntur, qua par est diligentia ac religione custodian- « tur, et ubique fideliter serventur, illud ante omnia scire « et observare convenit quod sacrosancta Tridentina syno- « dus de iis ritibus decrevit in hæc verba : *Si quis dixerit « receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in so- « lemni sacramentorum administratione adhiberi con- « suetos, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut « in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem « mutari posse, anathema sit.* » Canon ille Tridentinus est 13 sessionis 7.

PUNCTUM II.

Licitum saltem est cuilibet sacramenta ministranti rituali Romano uti.

Nam, juxta breve Pauli V, rituale Romanum ab ipso auctoritate apostolica editum, est volumen comprehendens sacros et sinceros Ecclesiæ catholicæ ritus, *qui in sacra-*

mentorum administratione, aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent. Sed si isti ritus *servari debent,* a fortiori cuilibet eos servare licitum est.

· Præterea idem Pontifex *hortatur in Domino* omnes, sine exceptione, ad quos pertinet, *Patriarchas* nempe, *Archiepiscopos, Episcopos et eorum vicarios, necnon abbates, parochos universos ubique locorum existentes, et alios ad quos spectat,* ut dicto rituali utantur: porro cuilibet clerico et fideli semper licitum est hortationibus Summi Pontificis, Christi in terris vicarii, morem gerere; ergo licebit saltem cuilibet parocho et clerico cujuscumque latinæ ecclesiæ in ministrandis sacramentis, aliisque obeundis functionibus ecclesiasticis, Romanum rituale sequi.

Nec objiciatur id falsum esse in diœcesibus, in quibus ab Episcopo aliud rituale adhibendum præscriberetur. Dum enim Summus Pontifex quemlibet cujuscumque diœcesis clericum hortatur ut rituale Romanum adhibeat, hoc ipso ei licentiam concedit hoc rituali utendi. Licentiam autem a Summo Pontifice concessam, non potest Episcopus per præceptum contrarium tollere; alioquin sequeretur Episcopum esse jurisdictione superiorem Papæ, quod hæreticum est. Unde nullus jam Episcopus potest propria auctoritate rituale a Romano diversum præscribere; et, si præciperet, præceptum ejus esset pleno jure nullum et irritum; siquidem ad illi obtemperandum nulli obligarentur, cum semper ipsis remaneret facultas, ab Apostolica sede concessa, Romana utendi formula.

Idem confirmatur ex sacræ Congregationis rituum declaratione, die 22 Maii 1841 ad Petrum Noseley, civitatis Bar-sur-Aube parochum directa. Petebat parochus ille, *an in administrandis Ecclesiæ sacramentis rituali Romano uti posset:* in ipsius autem diœcesi (Trecensi nempe), aliud tunc temporis a Romano diversum rituale in usu erat. Cui tamen quæsito a S. Congregatione responsum est, *in casu affirmative* (apud Gardellini, numero 4779).

PUNCTUM III.

Rationes quæ suadere videntur obligatorium non esse rituale Romanum, et posse quamlibet ecclesiam aliud sibi proprium adhibere.

Prima ratio deduci potest ex tenore ipso decreti Pontificii : cum scilicet Paulus V non dicat *mandamus* aut *præcipimus*, sed tantum *hortamur in Domino*, videtur noluisse ritualis Romani formulam stricte obligatoriam facere. Ergo nonobstante illa constitutione, remansit singulis ecclesiis facultas proprium sibi rituale retinendi aut conficiendi.

Secunda ratio desumi potest ex sententia et auctoritate Catalani qui sic habet : « Tametsi magna sit Romani ritua« lis auctoritas, non ita tamen ei ecclesiæ sunt alligatæ, ut « non possint suis ritualibus uti, modo ritus laudabiles sint « ac probati... Ita plane statuit concilium ipsum Tridenti« num, tum aliis locis, tum vero sess. 24, de Ref. matrimo« nii, cap. 1, in fine; ex eoque rituale Romanum, tit. VII, « cap. 3, § 5; ubi circa præscriptos ritus in celebratione « matrimonii servandos hæc habet : *Si quæ provinciæ aliis « ultra prædictas laudabilibus consuetudinibus et cære« moniis in celebrando matrimonii sacramento utantur, eas « sancta Tridentina synodus optat retineri.* » (Catalanus in præfatione commentarii in rituale Romanum.)

Tertia ratio erui potest e responsione sacræ Congregationis rituum quam refert Gardellinus sub numero 482 : die scilicet 2 maii 1626, Maniliensi in Philippinis Archiepiscopo S. Congregatio rituum respondit : *Placere sibi, quod si non est introducta observatio ritualis Romani, introducatur.* Quæ formula supponit, a S. Congregatione tanquam obligatorium nondum habitum fuisse rituale Romanum.

PUNCTUM IV.

Non valent prædictæ rationes; et rituale Romanum strictam vim legis habet, omnes latinas ecclesias attingentis.

1° Falsum est breve Pauli V esse tantum hortatorium et non præceptivum. Fateor quidem ipsum dixisse *hortamur in Domino;* sed hoc dixit postquam superius jam præceptum clare expresserat. Dixerat enim : *Restabat ut uno etiam volumine comprehensi sacri et sinceri Ecclesiæ ritus, qui in sacramentorum administratione, aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis qui curam aminarum gerunt, Apostolicæ sedis auctoritate prodirent.* Ergo suum librum ritualem ideo edidit Paulus V, ut apostolica auctoritate determinaret ritus, *qui servari debent;* ergo voluit ritus, hac apostolica auctoritate in isto rituali determinatos, *servari* seu obligatorios esse; ergo præceptum jam sufficienter expresserat; ergo dum postea subjungit, *hortamur in Domino*, intelligendum est, eum hortari ad diligenter servandum quod præceperat. Et certe quilibet superior, postquam aliquid districtis, et omnino præceptivis verbis mandavit, addere potest hortatorias ad subditos suos formulas, ut mandatis pareant; et ex eo quod dicat *hortamur*, immerito concluderetur vim non habere præceptum, ad cujus impletionem enixe hortatur. Neque ego primus sum qui ita intelligendam esse Pauli V constitutionem contendam : jam a multo tempore idem docuit Pignatelli (t. VIII, consultatione 73, n°. 45) : « Certum etiam est, inquit, rituale « Romanum constituere jus, quia editum a Summo Ponti- « fice, qui mandat omnibus observari. Et licet Pontifex in « sua bulla utatur verbo *hortamur*, hoc tamen verbum « æquipollet verbo *mandamus*, sicut æquipollet *rogo*, quod « aliquid minus importare videtur (ut lege *Si servi mei*, « ff. de neg. gest. *et in eo rogo* 11. Quæst. 3 — ubi

« notat glossa verbum *rogo*). Quod magis locum habet in « præsenti; quia Pontifex dicit *hortamur in Domino*, per « quod interponitur auctoritas Dei, et exprimitur enixa « voluntas ut fiat quod ipse hortatur. Eoque præcipue, « quia præmisit Pontifex suam dispositionem directi- « vam sacrorum rituum, tanquam de materia omnino « necessaria, ut constat ex proœmio, et ad manuten- « endam hanc suam dispositionem inducit dictam exhor- « tationem; ac proinde oportet quod eodem modo servari « velit quod ponit sub exhortatione, ac servari vult quod « disponit: Certum est autem quod obligat ad servandum « quod disponit; atque adeo etiam quod hortatur, cùm « hoc sit necessarium ad manutenendam ejus dispositio- « nem. »

2° Obligatorium esse rituale Romanum tenent auctores multi. Jam Pignatellum citavimus. Ei assentiunt Baruffaldus et alii ab ipso laudati, ut constat ex sequentibus hujus auctoris verbis:

« Ex hoc patet, rituale Romanum antiquis Ecclesiæ in- « stitutis et sacrorum canonum decretis inhærere, utpote ex « istis compactum, ne ab Ecclesiæ veris semitis declina- « rent ministri et cæremoniæ. » (Baruffaldus, commentaria in Ritnale, tit. 2, n° 2.) « Ex verbo... *ubique*, patet in- « tentio Ecclesiæ quæ, per quantum in se est, fideles in « iisdem ritibus ubique regionum uniformes esse deside- « rat, ac omnes in unum Romanum ritum coalescere. « Contra vero negligentes et minus observantes hos ritus « stat concilium Tridentinum verbis sequentibus. » Et ibi citat Baruffaldus supra descriptum Tridentinum canonem, *Si quis dixerit receptos, etc.* (Baruffaldus, tit. 2, n° 9.) « Neque *pastores*, quorum appellatione veniunt Episcopi, « Archiepiscopi et Patriarchæ, possunt mutare vel introdu- « cere novos ritus absque approbatione sacræ Romanæ Ec- « clesiæ, ut eadem sæpius decrevit, et præcipue loco supra « allegato ex Barbosa, de Potest. Episcop. alleg. 17, n° 6 »

(Baruffaldus comment. in Rituale, tit. 2, n° 16). Idem auctor citata sequenti Ritualis dispositione : *Librum hunc ritualem (ubi opus fuerit) semper cum ministrabit, secum habebit, ritusque et cæremonias in eo præscriptas diligenter servabit;* in textum hunc sic disserit : « Eliminandi sunt « igitur quicumque alii libri ad usum ritualium elaborati... « Advertant insuper, ut rituali Romano quo utuntur demptæ « sint omnes additiones factæ et forsan faciendæ post refor- « mationem S. memoriæ Pauli V, sine approbatione sacræ « rituum Congregationis » (tit. 2, n° 85). « Strictius tamen « in casu nostro, præcise et in terminis de rubricis ritualis « Romani loquitur clericatus (de Sacr. bapt. dec. 34, n. 3; « dec. 66, n. 19) cum Menochio, Lottero et aliis, qui esse « de præcepto has rubricas asserunt, ideoque obligare sub « mortali, cum habeant vim legis ex decreto concilii Triden- « tini (sess. 7, can. 13.) » (Baruffaldus comm. in rituale, tit. 1, n. 10.) « Hic ritualis liber denique paratus esse de- « bet, ut rite et recte de more Ecclesiæ Romanæ fiat hæc « benedictio, nec aliquid superaddatur neve imminuatur. « Arceantur itaque omnes alii libri qui ritus benedictionum « statuant, qui a Romana Ecclesia approbati non sint et vul- « gati. Cum vero mentem mutare et de proposito discedere « homines facile possint, caute provisum fuit ne cuiquam « liceret immutare minimum verbum, vel introducere no- « vas cæremonias, absque expressa licentia S. rituum Con- « gregationis. Qui secus fecerint, eos animadversione di- « gnos censuit S. rituum Congregatio 12 nov. 1605, « et 12 maii 1612, per alleg. a Barbosa et Corsetto, « tract. 2, p. 1, sect. 1 add. » (Baruffaldus in Rituale, tit. 2, n. 4.)

Eamdem doctrinam tenet annotator octavi voluminis collectionis Gradellianæ decretorum sacræ Congregationis rituum : « Post reformationem, inquit, adprobationem et « evulgationem missalis pontificalis, cæremonialis, ritualis, « breviarii, nihil addi, nihil detrahi, nihil immutari potest;

« et in litteris apostolicis Patriarchæ, Archiepiscopi, Epi-« scopi monentur ut accurate illorum observationi advigi-« lent, quæ statuta in illis sunt. Huic si quis quid addat, « quid detrahat, quid immutet, jam eo ipso et novitatem « inducit, et jure inobedientiæ notam incurrit. » (Annotator tomi VIII collectionis Gardellianæ, pag. 131.)

3° Obligatorium esse rituale Romanum, et ut tale a sede Apostolica publicatum, erui etiam potest ex ipso hujus libri exordio, supra relato; ubi primo ritus et cæremoniæ in hoc libro contenti dicuntur *præscribi*. Tum ut eorum observationi provideatur, adducitur anathema Tridentinum in eos qui dicunt, *receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus posse sine peccato omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari*. Ille autem canon non promovisset observationem ritualis Romani magis quam aliorum ritualium in particularibus ecclesiis receptorum, nisi hæc verba *approbati Ecclesiæ catholicæ ritus*, post editum rituale Romanum, intelligi exclusive debuissent de ritibus in isto rituali contentis. Ergo, dum ille canon adducitur *ut ubique fideliter serventur ea quæ hoc libro præscribuntur*, eo ipso supponitur ritus in eo contentos esse eos *approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus*, qui *sine peccato a ministris omitti* non possunt; alios vero diversos, jam non esse approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus.

Duo scilicet supponit citatum ritualis Romani exordium: primo liberum non esse singulis ecclesiis recedere a probatis Ecclesiæ catholicæ ritibus: secundo, per eos probatos Ecclesiæ catholicæ ritus, jam intelligi debere eos qui in rituali Romano continentur. Si enim, post editum rituale Romanum, singulæ ecclesiæ vi canonis Tridentini ad servandum illud rituale non astringantur, sed possint propria ritualia quibus antea legitime utebantur retinere, vel nova sibi conçinnare, frustra adducitur dictus canon Tridentinus ad promovendam ubique ritualis Romani observationem. Quomodo enim ille canon aptus esset ad dictam ob-

servantiam promovendam, si singulis e contra ecclesiis non observandi hujus Romani ritualis relinquat facultatem? Nec dicatur canonem Tridentinum locutum de omnibus ritibus, etiam inter se diversis, quæ cum Ecclesiæ catholicæ assensu in singulis ecclesiis recipiebantur. Id non nego: at dum citatum exordium hunc canonem invocat ad urgendam ritualis, Romani observationem, hoc ipso jam restringit *probatos illos Ecclesiæ catholicæ ritus*, de quibus loquuntur Patres Tridentini, ad eos qui in libro ritualis Romani continentur. Quod idem est ac si declaratum et expresse decretum fuisset, præceptum Tridentinum, quod antea generaliter urgebat quoad receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, jam applicandum fore in specie ad rituale Romanum. Et in hac specificatione, auctoritate pontificia facta, stat tota vis argumenti nostri, ex citato exordio desumpti.

4° Confirmatur ex regulis generalibus Indicis. Inter varia quæ Clemens VIII prædictis regulis jussit adjici, reperitur circa correctionem librorum sequens dispositio: *Quæ autem correctione atque expurgatione indigent, fere hæc sunt quæ sequuntur... Quæ contra sacramentorum ritus et cæremonias, contraque receptum usum et consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ novitatem aliquam inducunt*. Ex quo textu sic argui licet: expurgandum est quidquid in ritualibus libris novitatem aliquam inducit *contra receptum usum et consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ;* sed quodlibet rituale a Romano diversum aliquam novitatem inducit contra Romanæ Ecclesiæ usum; ergo expurganda est quælibet a rituali Romano diversitas; ergo obligatoria est ritualis Romani forma.

Præterea in catalogo librorum prohibitorum licet nominatim non expressorum, § 4, reperiuntur sequentes: *Benedictiones omnes ecclesiasticæ, nisi approbatæ fuerint a sacra rituum Congregatione. — Rituali Romano additiones omnes factæ, aut faciendæ post reformationem Pauli V, sine approbatione sacræ Congregationis rituum.*

Ergo libri rituales qui vel rituali Romano aliquid addunt, vel benedictiones diversas et a sacra Congregatione rituum non approbatas continent, auctoritate Apostolica prohibiti censendi sunt.

5° Obligatorium esse rituale Romanum, etsi aliquando controverti potuisset, jam tamen certum faciunt plures auctoritate Apostolica emanatæ declarationes. — Contendet forsan quis præmissis rationibus et auctoritatibus rem omnino non evinci, sed remanere adhuc dubitationi et controversiæ obnoxiam. Etiam hoc permisso, thesis nihilominus ut certa in praxi habenda est, ob sequentes quæ supervenerunt declarationes : Apud Gardellini, numero 4532, ad dubium : « Utrum liber cui titulus *Collectio sive appa-* « *ratus absolutionum, benedictionum, conjurationum,* etc., « auctore Bernardo Sannig, sit prohibitus vigore decreti, « seu regulæ generalis Indicis? Aliqui enim affirmant, alii « negant; immo omnes fere sacerdotes hic et alibi illum « adhibent, quamvis omni prorsus approbatione careat. Et « quid de aliis libris benedictionum, habentibus quidem ali- « quam approbationem, ast non illam istius sacrorum ri- « tuum Congregationis? — Sacra Congregatio censuit : — « *Illi soli libri adhibendi, et in illis tantum benedictionibus,* « *quæ rituali Romano sunt conformes.* » Ergo adhiberi nequeunt ritualia Romano non conformia, nec aliæ benedictiones quam quæ in rituali Romano jacent. Ergo obligatorium est rituale Romanum.

Die 7 septembris 1850, a sacra rituum Congregatione ad Trecensem (in Galliis) Episcopum directæ sunt litteræ, in quibus decernitur benedictionem sanctissimi sacramenti dandam esse absque versiculorum cantu; et de eadem benedictione sic subjungitur : *in ea rituale Romanum, cujus leges universalem afficiunt Ecclesiam, integre servetur.* Ergo, declarante ipsa rituum sacra Congregatione, per modum legis universalis obligatorium est rituale Romanum. Prædictæ autem litteræ, de quarum authenticitate mihi

plenissime constat, editæ sunt in publicatione cui titulus : *Correspondance de Rome*, die 14 martii 1851.

Idem sequitur ex recenti ejusdem sacræ Congregationis responso ad dubia, a Reverendo Lottin, Cenomanensis ecclesiæ canonico, proposita. Inter cætera enim ita proposuerat prædictus canonicus : *Etiamsi ecclesia Cenomanensis sibi de breviario et missali iterum atque iterum ut libuerit providere queat, an istiusmodi facultas extendenda sit ad pontificale, cæremoniale Episcoporum, martyrologium et rituale Romanum ; ita videlicet ut præceptivas prædictorum librorum regulas, tolerante nempe aut permittente aut etiam aliter quidpiam statuente Reverendissimo Episcopo, canonici aliive sacerdotes possint illæsa conscientia infringere aut omittere, sicque reverendissimi Episcopi voluntas his in casibus sit pro ipsis sufficiens dispensatio?* Sacra vero Congregatio die 10 januarii 1852 rescribendum censuit, *negative et amplius.*

Stantibus autem his et similibus declarationibus, etiamsi olim res aliquatenus dubia fuisset, et inter doctores controversa, nunc pro judicata omnino habenda est.

6° Respondetur rationibus contrariis in præcedenti paragrapho expositis. — Altera desumebatur ex voce *hortamur* qua utitur Paulus V in publicando rituali Romano. Jam vero ostendimus vocem hanc non impedire quin præceptum proprie dictum exprimat hujus Pontificis constitutio. Altera ratio, desumpta ex eo quod sacra Congregatio dixerit *se optare* ut introduceretur in quadam ecclesia ritualis Romani usus, difficultatem non facit. Bene enim potuit dicta Congregatio hanc loquendi formulam ex quadam comitate et prudentia usurpare, licet ipsi persuasum fuerit obligatorium fuisse præfatum rituale.

Respondendum remanet auctoritati Catalani, qui putavit posse ecclesias suis propriis ritualibus, probatis cæteroquin et laudabilibus, uti. Dicendum in hac re errasse laudatum auctorem, qui cæteroquin in congerendis documentis magis

quam in expendendis præcellere solet. In errorem autem inductus est, ex eo quod concilium Tridentinum et ipsummet rituale Romanum, ecclesiis liberum faciat quoad aliquas sacras cæremonias, propriis consuetudinibus obsequi. Nam istæ consuetudines, hoc ipso quod in illis determinatis et paucissimis cæremoniis *liberæ* relinquantur, jam non sunt contra, sed potius *juxta* rituale Romanum. Unde, ex eo quod quælibet ecclesia, in hujusmodi determinatis a lege punctis, licite possit propria consuetudine uti, male concludit Catalanus, ipsi liberum esse proprium rituale a Romano diversum sequi. Imo contrarium concludere debuisset, quia exceptio confirmat regulam. Unde, hoc ipso quod rituale in determinatis quibusdam sacris cæremoniis peragendis liberum faciat loci probatas consuetudines sequi, in cæteris omnibus prohibet diversos ritus adhiberi.

Igitur, etiamsi reperirentur aliqui alii auctores Catalano assentientes, relinquendi forent, ob relatas, quæ nunc controversiam omnem tollunt, sacræ Congregationis declarationes.

Hinc tandem concludendum venit, non esse licitum, absque sedis Apostolicæ indulto, alterius quam Romani ritualis usum; et absque ejusdem sedis Apostolicæ facultate, licitam pariter non esse ullam in ritualis Romani formula additionem vel immutationem.

Consuetudini vero adhibendi ritualia a Romano diversa, vel ipsum Romanum cum quibusdam additionibus et immutationibus, applicanda videtur doctrina quam supra quoad breviarium et missale exposuimus; hujusmodi scilicet consuetudinem non censendam esse legitime præscriptam, licet plus quam quadragenaria sit, et eam non ignorans sedes Apostolica silendo dissimulaverit.

CAPUT IV.

JUS LITURGICUM QUOAD FESTORUM INSTITUTIONEM ET SUPPRESSIONEM.

Duplex circa festa occurrit quæstio : 1° Utrum potestas nova festa instituendi seu calendario addendi, vel eadem supprimendi, ita nunc reservata sit sedi Apostolicæ, ut Ordinarii locorum ea penitus destituti censendi sint. 2° Utrum idem dicendum occurrat de potestate instituendi festa *de præcepto*, in quibus nempe a servilibus operibus abstinendum sit, et eadem supprimendi.

Ad priorem quod attinet, jam supra ostendimus, post bullam sancti Pii V non potuisse nec posse ab Ordinariis propria auctoritate fieri ullam calendariis festorum additionem aut truncationem; imo etiam (parte 4, cap. 2, § 4, prop. 2) probavimus hanc regulam applicandam esse iis ecclesiis quæ, ob ducentorum annorum possessionem, propriam liturgiam servare legitime potuerunt. Remanet ergo tantum expendenda quæstio circa festa *sub præcepto* a populis observanda.

Propositio 1ª. *Festorum de præcepto instituendorum vel supprimendorum suprema potestas ita pertinet ad sedem Apostolicam, ut omni tempore potuerit eam sibi reservare.* — Ea enim potestas est pars juris liturgici; atqui (parte 2) probavimus Romano Pontifici competere supremum jus liturgicum in universam Ecclesiam; ergo ex omnibus ibi adductis rationibus, ei etiam attribuenda est suprema potestas circa festa de præcepto instituenda, et pro locorum et temporum ratione moderanda. Unde potuit quidem de facto sedes Apostolica illius potestatis exercitium per plura sæcula Ordinariis locorum permittere; at potuit etiam eamdem sibi statim ab Ecclesiæ exordiis reservare.

Propositio 2ª. *Per plura sæcula (id est usque ad Urbanum VIII), sedes Apostolica festorum de præcepto dierum*

institutionem et suppressionem de facto sibi non reservavit. — Id ingenti documentorum copia probari potest. Aliqua tantum indicabimus.

Anno 1493, Joannes Lhuilier, Meldensis, episcopus synodali decreto festorum de præcepto numerum imminuit; idque propria auctoritate, ut indicant decreti verba, quæ referuntur in coll. *Actes du clergé de France* (t. V, p. 1277, ed. 1716).

Anno 1524, idem videmus peregisse Stephanum Poncher, Senonensem Archiepiscopum (loco citato, p. 1279).

Anno 1526, idem peractum decreto synodali a Carnutensi Episcopo (loco citato, p. 1280).

Anno 1528, ita decernebat Bituricensis provinciæ concilium : « Statuimus numerum dierum festorum esse coer« cendum; steturque arbitrio Ordinariorum in ipsis festis « abrogandis. »

Anno 1583, simile decretum edidit concilium provinciale Burdigalense, nimirum : « Episcopi in sua singuli sy« nodo, habita nostrorum temporum ratione, dies festos « suarum diœcesum ad pauciorem numerum, quoad poterunt, « reducere curabunt; eosdemque, propositis etiam eorum ar« bitrio pœnis, debita cum reverentia curent observandos. »

Anno 1549, festa de præcepto pariter reduxit ad pauciorem numerum concilium Trevirense; et anno 1565, concilium Cameracense.

Relictam Episcopis hanc potestatem supponit etiam Tridentinæ synodi caput 12, sessionis 25 : *Dies etiam festi, quos in diæcesi servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam regularibus serventur.*

Et tandem id extra dubium fuisse, apud sedem Apostolicam, probant litteræ cardinalis d'Ossat ad regem Galliæ Henricum IV de hac re directæ : « Sire, étant dernièrement « à Bologne, au retour du Pape de Ferrare à Rome, je con« férai avec monsieur le cardinal de Florence, du comman« dement que Votre Majesté faisait à M. de Luxembourg, « par sa dépêche du 4 octobre, de parler à Notre Saint

« Père le Pape du grand nombre de fêtes qui se font en « France... et après avoir eu l'avis dudit seigneur Cardinal, « je traitai de cette affaire avec Sa Sainteté... » (*Ibi refert Cardinalis d'Ossat expositas a se rationes ad obtinendam a Clemente VIII festorum de præcepto imminutionem : tum sic pergit.*) « Sa Sainteté me répondit que la chose en « soi ne lui déplaisait point...; que toutesfois, ce que Votre « Majesté demandait était chose que les évêques pouvaient « faire... Je lui répliquai que Votre Majesté aurait estimé, « qu'il serait meilleur de supplier Sa Sainteté d'en vouloir « faire un bon règlement elle-même... A huit jours de là, « il me dit qu'il y avait pensé, et s'était confirmé en ce qu'il « m'avait dit la première fois, d'en laisser faire les Ordi- « naires selon qu'ils verraient en être besoin. » (Actes du clergé de France, tom. V, pag. 1283, édit. 1716.)

Idem præterea constat ex communi doctorum consensu. Unanimes enim sunt, ante bullam Urbani VIII, in tribuenda Ordinariis potestate circa festa de præcepto decernendi : non tamen absque restrictione, ut in sequenti propositione ostenditur.

Propositio 3ª. *Ante bullam Urbani VIII certo poterant Episcopi in suis diœcesibus festa de præcepto instituere : id tamen probabilius non poterant absque capituli saltem consensu : festa autem auctoritate episcopali sic inducta, poterant Episcopi absque ullius consensu abrogare.* — De hac re disserens Benedictus XIV (De Beatific. et canoniz. lib. 4, part. II, cap. 15), affirmat : « In sua diœcesi posse « Episcopum, de consensu cleri et populi, festum instituere « de præcepto, uti probat textus in canone *Pronuntian-* « *dum, de Consecratione,* dist. 3, et in capite *Conquestus,* « *de Feriis.* Licet autem nonnulli velint consensum populi « ex consuetudine amplius non requiri, nemo tamen est qui « excludat consensum capituli (Pirhing in jus can. tom. II, « lib. 2, tit. 9, *de Feriis,* § 2, n. 10.— Filiuc. Operum mo- « ral. tom. II, tract. 27, cap. 6, n. 86. — Castropal. Oper.

« mor. tom. II, tract. 9, disput. 1, part. 1, punct. 2, n. 6.
« —Azor. Inst. mor. part. II, l. 1, cap. 26, quæst. 1 et 2.—
« Diana, in edit. coord., tom. III, tract. 3, resol. 89, n. 2). »

« An autem (ait Cavalieri, tom. II, pag. 13, edit. Venet. 1758) ut Episcopus festa aliqua legitime invehat, « necesse sit interveniat consensus populi et cleri? Quæstio hæc est cui respondet communis doctorum opinio, vi « juris requiri. Nam canone *Pronuntiandum* diserte habetur: *Festivitates quas singuli Episcopi in suis episcopatibus cum populo collaudaverint.* Collaudatio autem « denotat consensum et approbationem. Et capite *Conquestus* habetur: *Quas singuli Episcopi in suis diœcesibus cum clero et populo duxerint solemniter celebrandas.* « Ubi particula copulativa *et* tam populi quam cleri consensum exposcit.

« Sunt tamen qui consensum cleri et populi modo necessarium minime putant, eo quod Tridentinum, in allegatis verbis, *dies etiam festi, quos in diœcesi sua servandos Episcopi præceperint,* nullam habet mentionem consensus cleri et populi. Verum ibi Tridentinum circa dictam « Episcoporum facultatem haud novam ponit dispositionem; « et ideo ejusdem textus præfatum consensum nequaquam « excludit..., quin immo ex vi juris communis tanquam debitum supponit... Censetur autem clerus populusque consentiens, quando Episcopo proponente nemo contradicit, « aut, contradicentibus aliquibus, major pars consentit.

« Potest tamen Episcopus solus festa, cum consensu cleri « et populi indicta, tollere; quia ejus potestas quoad hoc « nullo est jure limitata; et aliunde par non est ratio festi « instituendi et abrogandi: in primo siquidem casu gravatur « populus, et ideo forte requiritur ejus consensus; in secundo « autem nedum gravatur, ut etiam ab onere sublevetur. »

Quid autem evaserit prædictum jus Episcoporum circa festa de præcepto, post editam Urbani VIII bullam, nunc est diligenter inquirendum.

Propositio 4ª. *Post bullam Urbani VIII, jam non potuerunt nec possunt Episcopi, etiam cum populi et cleri consensu, festa ulla de præcepto, per eam bullam aut per subsequentes sedis Apostolicæ ordinationes constituta, in suis diœcesibus abrogare.* — Id facile eruitur ex ipso pontificiæ constitutionis tenore, qui sic habet : « Motu proprio « et ex certa scientia maturaque deliberatione nostris, nec « non de prædictæ Apostolicæ plenitudine potestatis..., de- « cernimus et declaramus, infrascriptos dumtaxat dies pro « festis ex præcepto colendos esse... Dominicos scilicet dies « totius anni, Nativitatis D. N. J.-C., Circumcisionis, Epi- « phaniæ, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, « Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus « feriis, sanctissimæ Trinitatis, solemnitatis Corporis Christi, « et Inventionis S. Crucis; necnon Purificationis, Annuntia- « tionis, Assumptionis, et Nativitatis Deiparæ Virginis; De- « dicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis « Baptistæ, SS. Petri et Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, « S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi et Jacobi, S. Bartho- « lomæi, S. Matthæi, SS. Simonis et Judæ, et S. Mathiæ, « Christi apostolorum; item S. Stephani, protomartyris, « S. Sylvestri, Papæ et confessoris; S. Josephi etiam con- « fessoris, et S. Annæ, Deiparæ respective sponsi ac geni- « tricis; solemnitatis Omnium Sanctorum; atque unius ex « principalioribus patronis in quocumque regno, sive pro- « vincia, et alterius pariter principalioris in quacumque « civitate, oppido, vel pago, ubi hos patronos haberi « et venerari contigerit. Ad reliquorum vero dierum ob- « servantiam quos hactenus, sive in universa Ecclesia, « sive in quavis natione, aut regno, provincia, diœcesi, « aut loco, quomodocumque, sive ex præcepto, sive ex « consuetudine, sive ex devotione, Christi fideles tan- « quam festivos celebrarant, nequaquam ex præcepto « ipsos teneri, dicta auctoritate tenore præsentium per- « petuo etiam decernimus et declaramus. » (Bulla *Universa*

Urbani VIII, idibus septembris 1642, apud Gardellini, numero 1264.)

Latum est illud decretum per modum legis universalis totam Ecclesiam afficientis. Illa autem lege præscribuntur de præcepto servanda quædam certa festa, sublatis cæteris antea vigentibus; si ergo locorum Ordinarii possent prædicta de præcepto festa abrogare in suis diœcesibus, sequeretur posse a subditis legem superioris, ab Episcopis legem sedis Apostolicæ abrogari; quod falsum, absurdum et heterodoxum est. Ergo, quamvis ante Urbanum VIII potuerint Episcopi in suis diœcesibus festa de præcepto inducere aut jam inducta tollere, quia id eis hucusque liberum reliquerat sedes Apostolica, post publicatam præfatam constitutionem jam restricta remansit hæc eorum facultas; siquidem jam eis liberum non fuit ullum festum tanquam de præcepto a dicto Pontifice conservatum abrogare. Quæ conclusio applicanda pariter venit quibusdam aliis festis de præcepto a sede Apostolica deinceps præscriptis. Adnotat enim Benedictus XIV (de Beatif. et canon. lib. 4, part. II, cap. 15), « præter festa de præcepto juxta bullam Urbani VIII in « Ecclesia universali colenda, et præter aliud (1) additum « a S. memoriæ Clemente XI, alia reperiri festa de præ- « cepto pariter recolenda nonnullis in locis ex Summorum « Pontificum constitutionibus. »

Propositio 5ª. *Ergo illegitima et lugenda fuit post bullam Urbani VIII suppressio quorumdam de præcepto festorum in ea bulla statutorum, propria auctoritate a quibusdam Galliæ Episcopis attentata.* — Ejusmodi suppressionem tentavit Archiepiscopus Parisiensis de Perefixe; qui tamen ab infausto illo cœpto desistere coactus est. Quod sic narrat Benedictus XIV : « Cum Parisiensis Ar- « chiepiscopus Perefixe edictum anno 1666 promulgasset, « una cum indice festorum dierum quos in sua diœcesi ce-

(1) Nempe Conceptionis.

« lebrari mandabat, nonnullosque in Urbani VIII constitu-
« tione descriptos abstulisset; et cum Alexander VII, per
« suum in Galliis Nuntium Roberti christianissimo Regi suas
« detulisset querimonias, ipsasque iterum innovasset Pon-
« tifex Clemens IX per Nuntium suum Bargellini; anno
« demum 1668, ab eodem Parisiensi Archiepiscopo novus
« festorum index, omnino Urbani VIII constitutioni cohæ-
« rens, fuit in lucem editus, ut Berninus memorat (t. IV,
« Inst. de Hæres; cap. 6, p. 679 et seq.). »

Sed et multos alios Galliarum Episcopos idem peregisse constat ex collectione cui titulus *Actes du clergé de France* (t. V, p. 1304, edit. 1716); ubi narratur plura ex festis de præcepto in bulla Urbani VIII contentis suppressa fuisse, die 1 decembris 1666, a Laverdin Cenomanensi Episcopo; die 24 decembris ejusdem anni, a Faure Ambianensi Episcopo; die 26 decembris ejusdem anni, a Coislin Aurelianensi Episcopo; die 12 aprilis 1667, a Bassompierre Sanctonensi (Xaintes) Episcopo; die 7 octobris 1704, a d'Aubigné Noviodunensi Episcopo. Quibus recensitis, subdit collector plures alios præsules idem egisse : *plusieurs autres évêques ont fait de pareils retranchements.*

Porro talis Episcoporum Galliæ agendi ratio prorsus illegitima fuit. Violabat enim aperte Urbani VIII constitutionem; unde ad excusandos præfatos præsules dicendum foret bullam istam non fuisse quoad Gallias obligatoriam. At vero id minime dici potest : nam lex pontificia universalis erat; et nedum potuerit legitime præsumi Summi Pontificis consensus ut bulla in Galliis non acceptaretur et non obligaret, ejus e contra executionem quoad Galliam iteratis reclamationibus urgere non destiterunt Alexander VII et Clemens IX, ut modo vidimus a Benedicto XIV narratum. Jam vero si Episcopis alicujus regionis licitum dicatur, obedientiam denegare legibus pontificiis, etiam quando constat sedem Apostolicam velle regionem illam obligare, sequitur Romano Pontifici non competere *plenam potesta-*

tem pascendi, regendi atque gubernandi universalem Ecclesiam; quod consectarium hæreticum est.

Et nihilominus adeo mentes obnubilaverat fallax gallicanismi systema, ut compilator collectionis cui titulus *Les Actes du clergé de France*, temeritatis notam intorqueat, non prædictis bullæ Urbani VIII violatoribus, sed theologis qui catholicam doctrinam tunc temporis contra dictam violationem defenderunt : « Quelques particuliers ayant eu la té« mérité d'avancer que ces suppressions ne sont point de « l'autorité des évêques, il parut un traité imprimé à Paris « en 1670, composé en forme de dialogue, dans lequel l'au« teur établit amplement ce pouvoir des évêques. M. de « Bassompierre, évêque de Xaintes; M. de Laval, évêque « de la Rochelle, et M. l'évêque de Périgueux l'ont approuvé « avec éloge, et en ont recommandé la lecture à leurs dio« césains » (t. V, p. 1305, edit. 1716). Dum vero aliqui Galliarum Episcopi prædicto modo contra constitutionem Urbani VIII circa festa de præcepto decernebant, ad Regem recurrebant, ejusque auctoritate sua firmari decreta procurabant : « Louis par la grâce de Dieu, roi de France et de « Navarre..., après avoir fait voir en notre conseil le dit « mandement (Noviodunensis nempe Episcopi, qui plura « festa de præcepto propria auctoritate abrogabat), nous avons « icelui mandement loué, confirmé et approuvé, louons, « confirmons et approuvons par ces présentes signées de « notre main ; voulons et nous plaît que le dit mandement « soit exécuté selon sa forme et teneur. » (Actes du clergé, t. V, p. 129!, edit. 1716.)

Propositio 6ª. *Post bullam* UNIVERSA *Urbani VIII, Episcopi potestatem non habent nova festa de præcepto instituendi in suis diœcesibus.* — Multum controversa fuit illa quæstio; ita ut, si solum attendatur ad doctorum disceptationes, nihil certo concludi possit cum diversas in partes sententiæ abeant. Imo contra thesim stare videtur communior opinio. Inde autem orta in scholis controversia, quod Urbanus VIII

non clare præceptivis verbis usus fuerit dum Episcopos admonuit, ne in posterum nova festa de præcepto instituerent. Sic enim loquitur præfatus Pontifex : « Ne autem dies fes- « tos a locorum Ordinariis, nimia aliquorum facilitate, aut « populorum importunitate deinceps iterum multiplicari « contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad « ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem, de cætero « perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto « novorum festorum studeant abstinere. » (Relatam habes hanc bullam, apud Gardellini sub n. 1264.)

Ex quo textu, alii prohiberi Episcopos a novorum de præcepto festorum institutione, alii moneri eos tantum concludunt. Utriusque sententiæ momenta ex Salmanticensibus referemus : « Posse Episcopos pro sua diœcesi festa insti- « tuere, adeo antiquitus verum fuit, ut de eo prudenter « nemo ambigere possit. Tum quia id expresse constat ex « capite *Conquestus*, *de Feriis*, et capite *Pronuntiandum*, « *de Consecratione*, dist. 3; tum etiam ex communi Ecclesiæ « praxi, juxta quam, absque speciali sedis Apostolicæ licentia, « festa pro suis diœcesibus instituebant. Quare difficultas tan- « tum in præsenti movetur ob bullam Urbani VIII... Et ratio « dubitandi est : primo, quia Summus Pontifex in dicta bulla « hæc habet : *Eosdem Ordinarios in Domino monemus* « *ut... ab indictione sub præcepto novorum festorum stu-* « *deant abstinere*. Sed *in Domino monere* videtur signifi- « care eorum conscientias onerare; et *ab indictione festorum* « *abstinere*, præcipere : ergo prohibet Summus Pontifex dic- « tis verbis, ne Episcopi dicta festa deinceps instituant. Se- « cundo, quia si Episcopi et populi valerent per se vovere et « instituere nova festa, intentio Pontificis in hac constitutione « limitandi dies festos esset frustranea; quia brevi tempore « essent tot dies festi, sicut antea. Ergo ne sequatur absur- « dum..., dicendum est ab Episcopis et populis hanc potesta- « tem instituendi aut vovendi deinceps festa, sublatam esse.

« Sed opposita sententia ut probabilior tenenda est. Primo,

« quia Tridentinum (sess. 25 de r., cap. 12) Episcopis con-
« cedit facultatem instituendi festa, ut patet ex illis verbis :
« *Dies etiam festi, quos in diœcesi sua servandos præce-*
« *perit, ab exemptis omnibus etiam regularibus serventur.*
« Sed ad abrogandum Tridentini privilegium requiritur
« quod de eo expressa mentio fiat... Ergo per hanc bullam
« dictum privilegium instituendi festa minime revocatur.
« Secundo, quia privilegia in corpore juris inserta non re-
« vocantur per clausulas generales ; sed ex cap. *Pronuntian-*
« *dum*... et capite *Conquestus*..., conceditur Episcopis fa-
« cultas festa instituendi ; ergo per clausulas dictæ bullæ
« hæc facultas non revocatur. Tertio, quia omnia verba
« supra contra nos ponderata, nil explicant quod præce-
« ptum importet ; nam verba illa *monemus in Domino*, et
« *studeant abstinere*, exhortativa sunt, non vero præ-
« ceptiva. » (Salmanticenses, tract. 23, de tertio Decalogi præcepto, cap. 1, punctum 6, § 1.)

Ex illa controversiæ expositione satis patet thesim non posse ex doctorum auctoritate dirimi. At vero dum quæstio aliqua sic controversa pendet, si superveniat Congregationum Romanarum declaratio quæ eam decidat, disputatio finienda est, et huic decisioni in praxi standum est ; nec in contrariam sententiam abiissent doctores si talem decisionem novissent. Porro præsens controversia videtur clare a sacra rituum Congregatione fuisse decisa. Ad dubia nempe :
« 1° Utrum, non obstante bulla sanctæ memoriæ Urbani
« Papæ VIII de observatione festorum, edita 22 decembris
« 1642, vigeant et observari debeant festa illa quæ confir-
« mata erant voto alicujus communitatis ?— 2° An Episcopus
« in sua diœcesi, festa prædicta possit confirmare, adeo ut
« sint obligatoria ; et an alia festa instituere de præcepto
« præter illa quæ in dicta bulla expressa sunt ? — Sacra
« eadem rituum Congregatio censuit respondendum : ad 1.
« *Festa ex voto personas tantum voventes teneri obser-*
« *vare*.. ; ad 2, *negative*. Et ita declaravit die 23 junii 1703 »

(apud Gardellini, n° 3502). Ibi clare ponitur quæstio generalis, *an Episcopus in sua diœcesi possit alia festa instituere de præcepto, præter illa quæ in dicta bulla expressa sunt;* et respondetur *negative.* Hac ego auctoritate nixus, tanquam certum in propositione posui, jam non posse Episcopos in sua diœcesi nova festa de præcepto instituere, licet non ignoraverim hæc Cavalierii verba : « In contrarium tamen stant, tum doctores omnes, etiam qui post « memoratam constitutionem scripserunt; tum verba ipsius- « met constitutionis » (t. II, p. 13, n. 13, edit. Venet., 1758). Etiamsi verba bullæ in se considerata exhortativa tantum sint, potuit sacra Congregatio velle in posterum, ut hujusmodi exhortatio in præceptum seu legem transiret. Cumque ipsa non careat potestate ad jus ita determinandum, si revera declaraverit ab Episcopis prædicta festa non posse institui, huic decreto standum erit; quidquid in contrarium dixerint auctores hoc decretum ignorantes, et a solo bullæ textu arguentes.

Propositio 7ª. *Ergo per bullam* UNIVERSA *Urbani VIII, Episcopis ablatum fuit, et sedi Apostolicæ reservatum, totum jus liturgicum circa festa de præcepto instituenda vel abroganda.* — Sequitur ex præcedentibus. Nam ex propositione 4ª, non possunt Episcopi abrogare ullum ex festis de præcepto in bulla Urbani VIII aut subsequentibus sedis Apostolicæ constitutionibus sancitis : insuper, ex propositione 6ª nullum possunt novum sub præcepto festum propria auctoritate instituere : ergo jam nulla penes ipsos manet hujusmodi festa instituendi aut supprimendi potestas; sed reservatio quoad liturgiæ regimen, ad illam quoque materiam festorum de præcepto, extensa est. In quo sedes Apostolica, non jus novum acquisivit, nec (quod nefas dicere) jus alienum invasit; sed proprio jure, et nunquam non suo, cujus exercitium per multa sæcula locorum Ordinariis permiserat, per seipsam exercendum a tempore Urbani VIII opportunius atque utilius existimavit.

Propositio 8ª. *Princeps sæcularis festa de præcepto neque instituere neque abrogare potest.* — Confutando aliquorum errori qui hanc potestatem principibus sæcularibus tribuerunt, non immorabimur; sed satis erit pauca transcribere Benedicti XIV verba de hac re sic disserentis : « Non posse principem sæcularem constituere seu facere « festum aliquod *de præcepto,* cum id tantummodo spectet « ad potestatem ecclesiasticam; uti late probat Fagnanus « (in cap. *Conquestus, de Feriis,* n. 58 et seq.), Anacletus « (ad titulum Decretalium de Feriis, tit. 2, § 1, n. 3), Tho« massinus (in tractatu *de Festis,* lib. 1, c. 17, n. 16). « Quocirca cum senatus Mediolanensis per litteras encycli« cas et gubernator per edictum publicum præcepissent, ut « populi abstinerent ab operibus servilibus (prout servatur « cæteris diebus festis *de præcepto*), die Sancti Dominici, « Innocentius X, prævio consilio Congregationis sacrorum « rituum, litteras et edictum nulla seu irrita declaravit; « ut habetur in ejus constitutione 53 (Bullarii t. VI). Cui « consonat constitutio 31 Innocentii XII, in suo Bullario « particulari » (de Beatif. et canonizat., lib. IV, part. II, cap. 15). Eamdem quæstionem fuse tractatam habes apud Salmanticenses (tract. 23, de Tertio præcepto Decal., cap. 1, punctum 6, § 2).

Scholium. — Ad magis illustrandam præsentem quæstionem, non abs re erit sequentes hic subjicere S. Congregationis rituum declarationes :

In Sutrina 8 junii 1630, ad dubium, « *An festa de præ*« *cepto declarata afficiant etiam in orbem?* sacra Con« gregatio respondit : *festa de præcepto declarata ab Ec*« *clesia Romana esse servanda in toto terrarum orbe* » (apud Gardellini, numero 715).

« Proposito dubio ad instantiam quamplurimorum Reve« rendissimorum Episcoporum, an, stante constitutione S. S. « D. N. Urbani Papæ VIII super observatione festorum, « quæ incipit *Universa,* universitates seu communitates ci-

« vitatum, seu locorum teneantur ex præcepto servare festa « ex voto eorumdem inducta? die 18 aprilis 1643, sacra « rituum Congregatio censuit, *ex dispositione constitu-« tionis prædictæ, personas voventes tantum teneri.* Quam « sacræ Congregationis sententiam Sanctissimus D. N. lau-« davit et approbavit, dixitque, *intentionem suam fuisse « per eam constitutionem tollere festa de voto quoad vim « præcepti, et reducere illa ad instar festorum de devo-« tione, reservata obligatione, ratione personalis contrac-« tus ex vi voti provenientis, ipsismet personis tantum « quæ voverunt.* Die 18 aprilis 1643 » (apud Gardellini, 1297). Idem iterum resolutum vide sub n° 1382.



TRACTATUS CONCLUSIO.

Absoluta Principiorum circa jus liturgicum tractatione, æstimabit forte quis excuti a nobis debuisse in particulari eum, qui hodie in variis regionibus viget, rei liturgicæ statum; ne trunca alioquin atque utiliori quoad praxim argumento destituta remaneret scriptio nostra. In quam sententiam et nos primum abeuntes, quintam tractatui nostro adjunxeramus partem, in qua hodiernam liturgiarum ordinationem in quibusdam regionibus obtinentem, ad crisim vocabamus, et particulares de iis liturgiis ex doctrina hucusquè exposita conclusiones deducebamus.

Re tamen maturius perpensa resecatam eam partem maluimus; duplici nempe de causa : primo quidem advertimus cuilibet, qui tractatum nostrum legerit, obviam omnino et facilem remanere ejusmodi de singulis hodiernis liturgiis æstimationem atque conclusionem. Ast insuper invidia forsan non vacaret, privatum, qualis sum ego, atque omni auctoritate destitutum scriptorem, de re adeo gravi et prac-

tica judicium quodammodo instituere. Unde officio meo me fecisse satis existimavi, quod, principia ipsa in tuto ponens, ei, quam sanam et probatam reputavi, doctrinæ pro debito consuluerim. Si quid vero in tractationis decursu minus recte prolatum exciderit, libenti ac promptissimo animo sedi Apostolicæ, quæ me sibi semper indivulse adhærentem habebit, corrigendum subjicio. Confido tamen accepta fore præcipua expositæ doctrinæ capita, utpote quæ, non e meo penu, sed de gravissimarum plerumque auctoritatum promptuario eduxerim : eo vel magis quod apprime insuper consentanea videantur nuper edito sacræ rituum Congregationis decreto, quod hic pro tractatus coronide subjicimus.

DECRETUM

S. RITUUM CONGREGATIONIS CIRCA HODIERNAM ECCLESIÆ CENOMANENSIS LITURGIAM.

Quas sanctus Pius V edicit bullas quæ breviarium missaleque Romanum respiciunt, illas de anno 1583 cum omni laude, reverentia et gaudio excepit concilium provinciæ Turonensis, ac proinde Cenomanensis episcopalis ecclesia, quæ provinciæ ipsius limitibus concluditur. Quæ etsi speciali tunc ritu a duobus sæculis uteretur, attamen ritus iste adeo erat Romanus, ut vix pro vigesima parte proprium mere Cenomanense intermisceretur. In eodem siquidem ritu sibimet ipsi constans, nec ullo modo sancto Pio contraria studiosius perstitit Cenomanensis ecclesia spatio 150 annorum, nimirum usque ad annum 1748 aut 1749; in quo, auctore tunc temporis Episcopo, et consentiente capitulo, sed prorsus Apostolica sancta sede inconsulta, novum conditum fuit breviarium, novumque missale. Alia tunc facta fuit psalmorum distributio, alia ratio lectionum, tum de sacra

Scriptura, tum de sanctis : aliæ antiphonæ, alia responsoria, alii hymni, aliæ rubricæ et cæremoniæ. Insuper de calendario quamplures expuncti sunt sancti, ut novi in eorum locum sufficerentur. Cum itaque nova pæne omnia illis in breviario et missali appareant, de veteri ritu Romano Cenomanensi vix inpræsentiarum vigesima pars extat. Si itaque locorum Ordinarii prohibentur, etiam in iis breviariis, quæ juxta mentem sancti Pii Pontificis tolerata tantum fuere, uti antiquum Cenomanense, aliquid propria auctoritate addere, aut aliquid demere sub interminatis pœnis in decretis sacrorum rituum Congregationis dierum 8 aprilis et 28 octobris 1628 de non satisfaciendo muneri divini officii recitandi, inde clare concluditur quantum a præfinitis legibus aberret breviarium missaleque Cenomanense editum medio sæculo decimo octavo, in quo tam graves immutationes factæ sunt, ut a Romano æque ac ab antiquo Cenomanensi in omnibus fere recedat. Quæ singula inter cæteros R. J. F. Lottin, canonicus cathedralis Cenomanensis ecclesiæ, sedulo commemorans, sacram hanc rituum Congregationem humillimis precibus adire constituit, eique sequentia dubia proponere, pro opportuna solutione, nimirum :

1° Utrum licita fuerit annis 1748 et 1749 innovatio breviarii missalisque Cenomanensium a ritu Romano prorsus alienorum, amotis prius veteribus ad formam Romanam correctis breviario et missali, sola Episcopi et capituli ecclesiæ Cenomanensis auctoritate, et inconsulta sede Apostolica, facta aut probata ?

2° Quatenus negative, utrum saltem hujusmodi liturgia, vi præscriptionis, seu consuetudinis sæcularis, facta sit legitima, ita ut hodie quilibet sacerdos Cenomanensis possit eam tuta conscientia servare ?

3° Quatenus iterum negative, an quilibet sacerdos Cenomanensis, etiam canonicus et parochus, statim teneatur in conscientia, tum et horas canonicas persolvere, missam-

que celebrare juxta ritum Romanum, quando scilicet privatim recitat et celebrat, tum et insuper omnibus quibus potest modis reverendissimo Episcopo supplicare, quatenus et idipsum pro divino officio publico opportunis mediis et temporibus promovere dignetur?

4° Etiamsi ecclesia Cenomanensis sibi de breviario et missali iterum atque iterum, ut libuerit, providere queat, an istiusmodi facultas extendenda sit ad pontificale, cæremoniale Episcoporum, martyrologium et rituale Romanum; ita videlicet ut præceptivas prædictorum librorum regulas, tolerante nempe aut permittente aut etiam aliter quidpiam statuente reverendissimo Episcopo, canonici aliive sacerdotes possint illæsa conscientia infringere aut omittere, sicque reverendissimi Episcopi voluntas his in casibus sit pro ipsis sufficiens dispensatio?

5° Utrum possint et ipsi canonici, qui ex antiquo more mozetta et rochetto insigniti sunt, uti rochetto in administratione seu confectione sacramentorum et sacramentalium, quum reverendissimus Episcopus usum rochetti generaliter et pro majori seminario recenter præceperit, seu saltem probaverit, et pro omnibus insuper suæ diœcesis presbyteris, etiam in sacramentorum administratione se toleraturum esse voto et scripto declaraverit, quidquid in contrarium faciant cæremoniale Episcoporum, rituale Romanum, missale et pontificale, licetque nulla in diœcesi Cenomanensi antiqua aut usquedum generalis pro ea sacræ liturgiæ derogatione extiterit consuetudo?

Quas quidem preces, insertis cum dubiis, in ordinariis sacræ rituum Congregationis comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, referens infrascriptus Reverendissimus Dominus prosecretarius, Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis ritibus præpositi, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuerunt :

Ad I, negative.

Ad II, negative.

Ad III, consulat conjunctim utramque constitutionem S. Pii V, videlicet illam quæ incipit *Quod a nobis*, 7 idus julii 1568, et aliam quæ incipit *Ex proximo*, 12 calendas octobris 1571.

Ad IV, negative et amplius.

Ad V, rochettum non esse vestem sacram adhibendam in administratione sacramentorum, ac proinde tum ad ea administranda, tum ad suscipiendam primam tonsuram et minores ordines necessario superpelliceo utendum.

Atque ita declaravit die 10 januarii 1852.

FINIS TRACTATUS DE JURE LITURGICO.

INDEX

JUXTA MATERIARUM ORDINEM.

FINIS INDICIS.



